DE VARIO

QUEM

HABEAT APUD ORATORES ATTICOS

ΠΡΑΓΜΑ VOCABULUM

USU AC NOTIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CURT REHDANTZ

BARBIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS EXPRESSIT I. B. HIRSCHFELD.

CIƆIƆCCCLXXIV.

AVUNCULO DILECTISSIMO

CAROLO REHDANTZ

PIO ET GRATO ANIMO

D. D. D.

PARS I.

DE ΠΡΑΓΜΑΤΟΣ VOCABULI ETYMOLOGIÁ ET NOTIONE PRINCIPALI.

§ 1. DE *ΠΡΑΣΣΕΙΝ* VERBI RADICE AC FORMATIONE.

Omnis vocabuli ad determinandam notionem duo nobis sunt subsidia, alterum, quod etymologia paratur, alterum, quod scriptorum usus praestat. Sed hoc ab illo separari non potest, alterum potius altero niti atque vocabuli cujusdam significationem et etymologiae et usus ope constitui determinarique necesse est. Quarum rerum quum etymologia princeps sit et iis, quae usus nobis praebeat, probetur et illustretur, ab ea ordiendum esse mihi videtur in definienda *πράγματος* vocabuli notione.

De *πράσσειν* verbi etymologia, ut ab hoc initium faciam, viri docti maxime dissentiunt: Pottius (cf. *Wurzelwörterbuch* I, 473) compositum esse illud statuit et in aequo ponit verbo *προ-άγ-ειν*. Radicem esse censet *πρᾱγ* (*προ-αγ*), de qua ducit *πρᾱγ-τ-ω*.

Verum ut de composito ad tempus taceamus, jam viri doctissimi demonstraverunt exemplisque illustraverunt, verbi hujus finem: *σσ-ω* non litera *τ* sed *j* formatum esse.[1] Ac, quod ad compositum illud attinet, cur ad illud refugiamus, cum probata radice, quam omnes fere familiae linguae Indo-germanicae praebent, paene eadem efficiatur forma, quae non majore opera derivetur, et notio sane aptior et quae nullo negotio e prima ac principali significatione emanet? Quamobrem cum hanc originationem prorsus rejiciam, ad alteram transeo, quae Curtio probatur. Qui in elementis pg. 257 ed. 3. ductum id esse statuit a radice *ΠΕΡ*, skt. par, a qua pro-

[1]) cf. Curtius, Grundzüge 614.

ficiscitur *περά-ειν* verbum, cui primum inest penetrandi, tum transferendi notio. Hac de radice cum per metathesin *πρα* formatum sit, quod inest in voce *ἔπρασεν* = *ἐπραγματεύσατο,* quae apud Hesychium invenitur et, si notio respicitur ad nostrum *Geschäft*, skt.: vj-â-pâra-s se applicat, jam amplificata ducit Curtius illud *πράσσειν* sive *πρήσσειν*. Amplificata enim est illa radix, quam etiam in *πι-πρά-σκ-ω* = vendo etc. invenimus, litera *κ*, quae praestatur voce *πρακός*[1]) = *πράκτιμος der Eintreibung der Strafe verfallen*, quam notionem non minus in verbo *πράσσειν*, *πράσσεσθαι* = exigere, *eintreiben* invenimus. Illa litera *κ*, qua amplificata est radix, in *γ* emollita est, cujus rei exempla Schleicherus in compendio pg. 202 praestat, ita ut verbi radicem *πρᾱγ* esse (*πε-πρᾱγ-α*, *ἐ-πρᾱγ-ον*, *πρᾱγ-μα*) reperiamus. — Quaecunque a stirpe *περ* proficiscuntur voces aut penetrandi, peragendi, aut transferendi, negotiandi habent notionem. Invenitur etiam in verbo *πρήσσειν* haec penetrandi notio, unde in carminibus Homericis petendum est illud: *ἅλα πρήσσειν* *ι*, 491. *κέλευθον πρήσσειν*: *Ο*, 282. *ν* 83, *ὁδὸν πρήσσειν*: hymn. i. Merc. 203, quae notio quamquam radicis *πρᾱγ* prima ac principalis habenda est, jam tamen in alteram peragendi, transigendi cessit.

Aliam originationem Fickius statuit, qui illud verbum a radice *πρακ* = skt. praç (praç-na = quaestio) pracch (id est prask) prechati quaerere, rogare, petere = prim.: prak ducit, unde derivat negotiandi, agendi notionem, sed hac derivatione illa peragendi, penetrandi notio explicari non potest.[2])

De alia etymologia rejicienda, quae *πράσσειν* cum stirpe Sanscrita: krî comparat, conferas Curtium in elementis pg. 418.[3])

§ 2. DE NOTIONE *ΠΡΑΣΣΕΙΝ* SIVE *ΠΡΗΣΣΕΙΝ* VERBI.

Cum praeter etymologiam, ut supra dictum est, in determinanda vocis cujusdam notione usus, quem habeat illa apud scriptores, ratio habenda sit, cumque in explicando usu priora et posteriora sermonis tempora reputanda sint, in definienda *πρήσσειν* verbi notione initium faciam a carminibus Homericis. De servata prima ac principali penetrandi notione jam supra dictum est, sed ex illa emanat altera perficiendi. Conjungitur enim verbum cum casu

---

[1]) cf. Curtius, Grundzüge 625.
[2]) cf. Fick, vgl. Wörterbuch I, pg. 127. 2. Aufl. Göttingen 1870.
[3]) cf. Kuhns Ztschr. III, 415.

genetivo, quem dicunt partitivum, nominis: ὁδός cf. πρήσσειν ὁδοῖο γ, 476. ο, 47; 219. Ω, 264. quod penetrare viae spatium, id est: penetrando perficere, conficere aliquid itineris significat. Termini enim, quem is, qui penetrat aliquid, petit, ratione habita peragendi, perficiendi vis evenit, quam πρήσσειν τι = peragere, perficere aliquid, *Etwas bis zu Ende durchführen*, *ausrichten*, habet. Itaque interpretandos esse statuo hos locos, qui leguntur in carminibus Homericis: Ω, 550: οὐ γάρ τι πρήξεις. Α, 526: πρῆξαι δ' ἔμπης οὔτι δυνήσεαι. (β, 191.) Α, 552. π, 88: πρῆξαι ἀργαλέον τι. τ, 323: οὐδέ τι ἔργον ἐνθάδ' ἔτι πρήξει. γ, 60: δὸς δ' ἔτι Τηλέμαχον καὶ ἐμὲ πρήξαντα νέεσθαι, οὕνεκα κ. τ. λ.

Sed etiam per se positum Homerus adhibet illud verbum in Iliadis loco Σ, 357, quo: ἔπρηξας καὶ ἔπειτα — ἀνστήσασ' κ. τ. λ. legitur. Hoc loco jam illam agendi vim verbo vindico (*einfach: handeln*), quae jam viget in voce πρῆξις et accedit ad negotiandi vim: cf. γ 72, 82: πρῆξις δ' ἥδ' ἰδίη, οὐ δήμιος, — ἣν ἀγορεύω. cf. etiam h. in Apoll. 397: οἱ μὲν ἐπὶ πρῆξιν καὶ χρήματα νηῒ μελαίνῃ ἔπλεον. — Hae tres notiones inveniuntur in carminibus Homericis, si omittimus carmina minora, in quibus etiam aliam sed e notione agendi emanantem vim illud verbum sibi sumit; quae cum haud dubie posterioribus temporibus tribuenda sint, usum illis apparentem non in aequo ponere possumus ei, qui duobus carminibus majoribus contemplandis pateat.

Iam transeamus ad tempora longe posteriora, ad rerum scriptores oratoresque Atticos et explicemus, qua ratione hi verbo utantur; sed, quia longum est verbum per libros orationesque eorum persequi, illa, quae de ejus usu constent, paucis afferam. Prima et principalis penetrandi notio non jam invenitur, sed ab ea profecta est: perpetrandi, perficiendi, peragendi vis: *Etwas durchführen*, *ausrichten* (τὰ πεπραγμένα = res peractae). Cui usui tribuenda sunt: πράσσειν τινά = conficere aliquem, *Jemanden abthun*, *tödten;* πράσσειν τινί τι: aliquem afficere aliqua re, parare alicui aliquid; πράσσειν τινά τι = facere, reddere aliquem aliquid, quibus in elocutionibus summum peragendi momentum terminus, in quem is, qui agit, intuetur, esse mihi videtur. Cum vero non tam peragendi terminus respicitur, quam res peragenda, ipsa actio, rei occupatio, illa tertia evenit notio: agere = *handeln*, *geschäftig sein*, quam posteriore tempore illi verbo propriam vindicare possumus. Ceterae enim omnes notionis et usus varietates, omissis iis, quas jam attuli, demonstrari et explicari illa agendi vi possunt:

Primum ipsa notio: actionis cujusdam per se positae = *handeln*, cui tribuo illum usum intransitivum: *καλῶς πράττειν* = bene se habere etc.

deinde: actionis cujusdam ad aliquid spectantis = *in Etwas handeln, mit Etwas eine Handlung vornehmen:*

a) *πράσσειν τι* = agere aliquid, *Etwas betreiben, thun:* imprimis negotia agere.

b) *πράσσειν τι* = agere de aliqua re, *Etwas behandeln, verhandeln, unterhandeln über Etwas.*

tum: actionis ad aliquem et aliquid pertinentis, ubi negotiandi vis valet:

δίκην πράττειν τινά, ἀργύριον πράττειν τινά = exigere aliquid ab aliquo: *beitreiben, eintreiben.*

Quibus expositis agendi notionem *handeln, geschäftig sein* posteriore tempore huic verbo propriam vindicandam esse apparet, et, si in lexico Passow: 3, 1066, ubi illustratur verbi notio e contrario verbi *ποιεῖν*, legitur: „*Zulänglicher wird es indess sein, diesen Unterschied dahin festzustellen, dass bei ποιεῖν mehr die Vorstellung von dem Produkt der Thätigkeit, bei πράσσειν mehr die Vorstellung von dem Hinarbeiten auf ein Ziel mit Beseitigung entgegentretender Hindernisse, von den Mitteln und Wegen vorhanden ist, wodurch dasselbe erreicht wird*", de prima et principali quidem notione recte judicatur, sed illa verbi notio jam in agendi vim ita cessit, ut haec praevaleret, illa pallesceret; ac *πράσσειν* verbum, si notio et formatio respicitur, ad skt: pâra-jâ-mi (compositum cum praefixis vi-,â-[1]) *beschäftige*, vj-â-pâra-s = negotium, *Geschäft*, scilicet ad negotiandi vim prope accedit, quae in *περά-ειν* = transferre, *πέρνη-μι, πι-πρά-σκ-ω* vendo, *πρί-α-μαι*, emo, dominatur.

§ 3. DE USU AC NOTIONE VERBORUM COGNOMINATORUM: *ΠΟΙΕΙΝ, ΔΡΑΝ, ΕΡΔΕΙΝ, ΡΕΖΕΙΝ.*

Aptum atque e re mihi videtur hoc loco discrimina et notionis varietates quorundam verborum cum *πράσσειν* verbo cognominatorum afferre et illustrare, quorum in primo:

ποιεῖν contemplando, si sequeremur etymologiam, quam Fick[2]) statuit, et duceremus illud a stirpe: pû = purgare, ad notionem mente purgandi veniremus. Cui respondet quidem *ποιεῖν*

[1]) cf. Curtius, Grundzüge, pg. 256.

[2]) Vergleichendes Wörterbuch 1, 126.

= mente, ingenio aliquid fingere, sed restat nec demonstrari potest alter radicis: *ποιο*-usus, quem servat in vocabulis: *παιδο-ποιό-ς, παιδο-ποι-εῖ-σθαι* etc.

Hanc corpore fingendi notionem, quam illud non minus quam alteram habet, radicis significationi respondentem invenimus, si probamus eam, quam Curtius verisimilem[1]) ei tribuit, formationem. Quare ductum id esse censeo a radice: *ποιο = ποϝιο*, quae proficiscitur a stirpe statuenda: pu (skt.: pu-tras, pu-man-s; lat.: puer, pu-ella, pu-ber, pu-llu-s) = creare, parere, *zeugen, schaffen.* Pott[2]) illa vocabula confert cum stirpe pâ[3]) = tu-eri, defendere, servare, aut, ut ipsius verbis utar, propinqua aliqua stirpe, sed de verbo *ποιεῖν* hoc loco nihil affert. Aliam originationem nec formando aptiorem, et notioni magis contrariam Curtius jam rejecit.[4]) Quibus de causis *ποιεῖν* verbo primam ac principalem pariendi, creandi vim: *zeugen, schaffen,* sive id corpore, sive mente, ingenio fit, vindico, unde transit in faciendi notionem: *ποιεῖν* = *schaffen, machen, thun.*

Secundum verbum: *δρᾶν,* cui Fick[5]) propriam stirpem dar, dvar = facere *thun, machen,* tribuit, et notione et formatione ad *πράσσειν* verbum magis appropinquat, si Curtium[6]) sequimur, qui confert ejus radicem cum stirpe: *δρᾱ,* skt.: drâ = currere, ita ut prima currendi, movendi vis ad rem quandam referatur. Sed cum *πράσσειν* agendi vim, *handeln, geschäftig sein,* ut supra demonstratum est, sibi sumat, *δρᾶν:* facere, *thun, thätig sein,* significat, quae tamen notiones parvam tantum varietatem habent et altera in alteram transit. *δρᾶν* = facere, operari, *thun, thätig sein.*

Tertii verbi huc pertinentis: *ῥέζειν, ἔρδειν* etymologia et notio consentit et constat. De etymologia conferas Curtium in elementis, 171, 569. Fick I, 182. Omnibus in vocabulis, quae iis locis afferuntur, laborandi, elaborandi notio valet, quae non desideratur in verbo nostro: *wirken,* goth.: vaúrkjan, quod ejusdem stirpis est et notionem aptissime praestat. *ῥέζειν* = *wirken, arbeiten,* laborare, laborando efficere aliquid.

---

[1]) cf. Curtius, Grundzüge 270.
[2]) cf. Pott, Wurzelwörterbuch I, 247 ff.
[3]) cf. Pott, Wurzelwörterbuch I, 198.
[4]) cf. Curtius, Grundzüge 68.
[5]) Fick, vergl. Wörterbuch I, 88.
[6]) Curtius, Grundzüge 223.

§ 4. DE SUFFIXO *-ΜΑΤ* ET DE NOTIONE VOCABULORUM EJUS OPE FORMATORUM.

His de *πράσσειν* verbi formatione ac notione praemissis jam venimus ad ipsum propositum et transimus ad *πρᾶγ-μα* vocabulum, a radice *πρᾱγ* ductum. Sed priusquam illud vocabulum ipsum ac per se contemplemur et perspiciamus, ad alteram vocabuli partem, cum de radice satis jam dictum sit, ad illam syllabam: *-μα* nos vertamus. De suffixi *-μα* (*-ματ*) originatione conferas: Schleicher compendium § 219. Bopp, vgl. Gr. II, 354, III, 173. Curtius, Kuhns Ztschr. IV, 214. Schleicher, comp. pg. 396. Si ea, quae hi viri doctissimi de suffixi forma statuerunt, sequimur, comparare possumus suffixa linguae Sanscritae: man, dum nomina generis neutrius formet, Graecae: *-ματ*, Latinae: -men, -mentum.

In contemplanda ea, quae suffixo: *-ματ* vocabulis ejus ope formatis tribuatur, notione, cum de ejus cunabulis ac vi principali certum quid dici vix possit, magis e re esse mihi videtur, eorum vocabulorum usum ac notionem, quam habeant apud scriptores, percurrere, atque hac ratione, ut ejus vim quam accuratissime explicemus, temptare. Boppius[1]) eorum vocabulorum tres statuit ordines, quorum primo vim passivam, alteri activam tribuit, in tertio ponit nomina, quae dicit, abstracta; quae divisio mihi haud placet. Omnino enim eo suffixo formari, ut ita dicam, nomina verbalia, quibuscum conjuncta sit vis quaedam passiva, censeo. Haec vero vis passiva duplici modo illis in vocabulis apparet, ita ut ea aut id dicant, quod agatur, quod in agendo respiciatur, rem, de qua agatur, instrumentum vel rem agendi: *den Gegenstand, um den sich die Handlung dreht, mit dem die Handlung vorgenommen wird, den Gegenstand, das Mittel der Handlung*; aut id, quod agendo efficiatur: *das Ergebniss der Handlung.*

Sed etiam vocabula sunt, quae non solum alteram, sed utramque notionem complectantur et utrumque praebeant usum. Quae ad illustranda et explicanda etymologia et usu, praesertim Homerico, a quo semper in definiendis notionibus proficiscendum esse mihi videtur, ducibus jam magnum, sed prae vocabulorum ejus suffixi ope formatorum copia perparvum numerum perlustremus.

---

[1]) cf. Bopp, vergl. Gramm. III, 172.

§ 5.

Vocabula suffixi -μα τ ope formata id primum dicunt, quod agitur, rem, instrumentum, causam agendi: *den Gegenstand, das Mittel zur Handlung, dasjenige, was zu einer gewissen Handlung dient, und womit diese Handlung vorgenommen wird:*

a) vocabula, quae e radicibus emanant, quibus inest vis transitiva:

1. εἶ-μα = ἕσ-μα, rad. ἑς sive ϝες; ἕννυμι = vestio = *kleiden.* εἶμα = id, quod vestiendo est, instrumentum vestiendi, id, quo vestitur aliquis, *das Mittel zum Bekleiden, das zum Kleiden Dienende, das Gewand, Kleid*, skt.: vas-man, lat. ves-ti-men-tu-m.

2. ζῶ-μα = ζο(σ)-μα, rad. ζος ζω, skt. jas = cingere, *gürten.* ζῶμα = ea res, qua cingitur aliquis, id, quod cingitur; *der Gegenstand, das Mittel des Gürtens, der Gürtel* = cingulum. ζώνη = id quod cingit aliquid. cf. Fick I, 160. Curtius, *Grdz.* 572.

3. ὑπό-δη-μα (ὑπο-δε-ς-μα) ὑπο-δέ-ω, rad. δε = ligare, *binden.* ergo: ὑπόδημα = instrumentum subligandi = id quod subligatur, *das zum Unterbinden Dienende, die Sohle, Sandale.*

4. ἐπί-θη-μα, rad. θε = *setzen, legen,* ponere; ἐπιθε = imponere, superponere, *daraufsetzen, darauflegen* = tegere, *bedecken.* ἐπίθημα = id quod imponitur, instrumentum superponendi, tegendi; *das zum Darauflegen Dienende,* cf. Il. Ω 228, *der Deckel* = tegi-men-tu-m. cf. Curtius, *Grdz.* 239. Fick I, 100.

5. εἴλυ-μα, rad. ἐλ-υ, correpta reduplicatione stirpis primitivae ϝελ. cf. Curtius, elem. 334. Fick I, 185. Stirpis ϝελ prima notio est volvendi, unde emanat velandi vis. Ab hac stirpe proficiscitur eodem modo et eodem suffixo formata vox Latina: volumen, quod volvendi, *des Wälzens*, notionem servat = id quod volvitur. Notionem vocabuli Graeci vox Latina accuratissime quidem praebet: vel-a-men, velamentum, *das Mittel zum Einhüllen*, sed de ejus formatione conferas Curtium, *Grdz.* 182. — cf. ζ 179, ubi Ulixes a Nausicaa rem petens, qua se velet, dicit: εἴ τι ποι εἴλυμα σπείρων ἔχες.

6. κάλυμ-μα, rad. καλυβ, amplificata e stirpe καλ = cel (celare, occulere). cf. Curtius, *Grdz.* 490 *et* 134. Pott, *Wurzelwörterbuch* I, 681; contra Fick I, 204. κάλυμμα = κάλυβ-μα, instrumentum celandi, res qua celatur aliquis, *das Mittel zum Verbergen, Verhüllen, die Hülle, der Schleier*, vela-men.

7. ἔδ-ες-μα, rad. ἐδ, reduplicata: εδ-εδ; ἔδ-εδ-μα(τ) =

ἔδεσμα, id quod editur, *das zum Essen Dienende, die Speise.* cf. βρῶ-μα, skt. ad-man (n.) ali-mentum (Curtius, *Grdz.* 225. Fick I, 7).

8. δρ ά γ - μ α (cf. Curtius, *Grdz.* 449) = manipulus; (cf. etiam Fick I, 89, qui illud ad radicem dargh, skt. darh = artare, *fest machen*, refert), rad. δρακ = capere, prehendere, *fassen*, *greifen* (δράσσεσθαι). Unde τὸ δράγμα = id quod manu simul prehenditur, *der zum (einmaligen) Greifen dienende, geeignete Gegenstand, das, was einen Griff ausmacht, die Hand voll.* cf. Il. *Λ*, 69: τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει. cf. Σ, 552.

9. ἄρ - τ ῡ - μ α (Batrach. 41), rad. ἀρτυ, amplificata stirpe ἀρ, quam ἀραρίσκειν verbum reduplicatam praestat, notione artandi fungentem; ἀρτύ-ειν = artare, *zusammenfügen*, quo efficitur notio parandi, *bereiten;* et cum praecipue ad cibos parandos spectetur, ἄρτυμα ea res est, qua apparantur cibi, *das zum Bereiten (der Speisen) Dienende, das Gewürz* = condi-mentum. Curtius, *Grdz.* 317. Fick, I, 13.

10. ἄ κ ε σ - μ α; rad. ἀκε, ἀκέ-ο-μαι = medeor, *heile.* cf. Curt., *Grdz.* 631. ἄκεσμα = medica-men, medica-mentum, *Heilmittel.*

11. ἧ μ α, quod cum verbi ἵ-η-μι = mitto, jaculor stirpe conferendum est et secundum Hesychium: telum, *ein Geschoss*, *eine Wurfwaffe*, instrumentum mittendi, jaculandi est. Itaque Iliadis locum Ψ, 891, ubi nomen plurale positum est, δυνάμει τε καὶ ἥμασιν ἔπλευ ἄριστος, interpretandum esse statuo: viribus et telis optimus, *an Kraft und mit den Speeren* (*nicht im Speerwurf*, quod nomine plurali tantum, telis jaciendis, mittendis efficitur), *der Beste* = jaculum, tor-mentum. cf. Curtius, *Grdz.* 373.

12. μ ε ί λ ι γ - μ α, rad. μειλ-ιχ = lenire, *besänftigen, versöhnen, erfreuen*, amplificata stirpe μειλ. cf. Curt., *Grdz.* 307. μείλιγμα = id quo lenitur aliquis, *das Besänftigungsmittel.* cf. Od. κ 217: αἰεὶ γάρ τε φέρει μειλίγματα θυμοῦ, = leni-men (de-leni-mentum, placamen). Aliam ac Curtius statuit radicem Fick I, 155.

13. δ ή λ η - μ α, rad. δηλε (δηλ-έ-ο-μαι) = delere, *beschädigen, schädigen.* cf. Fick I, 92, 88. Contra cf. Curtium de delendi verbi radice, *Grdz.* 342. Ergo: δήλημα = ea res, qua deletur aliquid, delendi instrumentum = detri-mentum. cf. Od. μ, 286 ἄνεμοι χαλεποί, δηλήματα νηῶν, cf. hymn. in Apoll. 364.

14. κ α τ ά - π α υ - μ α, rad. παυ = finire, componere, *aufhören machen.* κατάπαυμα = id quo finitur, componitur aliquid: cf. *P*, 38, ʀ κέ σφιν δειλοῖσι γόου κατάπαυμα γενοίμην. Curt., *Grdz.* 254.

15. *πεῖσ-μα*, rad. *πενθ*, skt. bandh = *binde*, ligo: *πεῖσ-μα* igitur instrumentum ligandi, *das Seil, Tau, das, womit gebunden wird* = funis, lat. ligā-men; liga-mentum. cf. Curt., *Grdz.* 245. Fick I, 134.

16. *δέσ-μα*, rad. *δε* = skt. dâ ligare = *binden. δέσμα das zum Binden Dienende*, instrumentum ligandi, *das Band.* Curt., *Grdz.* 220. 66. Fick I, 92. — skt. dâ-man.

17. *ἕρ-μα* (Curt., *Grdz.* 330), rad. *σερ* (*ἑρ*) = *knüpfen, binden*, serere, nectere. Ergo: *ἕρ-μα* = id quod nectitur, *der Gegenstand des Knüpfens, Anbindens*, 1) *der Ballast, Stütze;* similem notionem praebent voces Latinae: statu-men, colu-men; firmamentum, 2) = *Ohrbommeln.*

18. *τέρ-μα*, rad. *τερ*, tar = transgredi, transire, *überschreiten* (Curt., *Grdz.* 209. Fick I, 78). Quamobrem *τέρμα* id, quod transitur, dicit, *den Gegenstand, Punkt, der überschritten wird, das Ziel, den Endpunkt*, skt. tar-man (m. n. Fick I, 80), lat. ter-men, ter-minu-s.

19. *στέμ-μα*, rad. *στεφ, στεπ* = densare, *dicht machen*, coronare, *kränzen.* (Curt., *Grdz.* 202). *στεπ-μα* = *στέμμα:* id, quo coronatur aliquis, *der zum Kränzen dienende Gegenstand, das Mittel zum Bekränzen.*

20. *χρῆ-μα*, rad. *χρα*, proficiscens a stirpe: *χερ* (*χείρ* = manus), *χρά-ο-μαι* = administro aliquid, *die Hand an Etwas legen, gebrauchen. χρῆ-μα* igitur res est, quae administratur vel administranda est, *das was zum Hand-Anlegen, Gebrauchen da ist; das Mittel zum Gebrauche:* ergo = *Vermögen, Habe, Güter.* cf. *β*, 78. 203. *ν*, 203 etc. *χρή-ματ-α* = utensilia. cf. Curtius, *Grdz.* 189. Pott, *Wurzelw.* 1, 91.

b) Sin vero verbi radici jam vis intransitiva inest, vis passiva, quam vocabulis ejus suffixi ope formatis tribuo, non tam perspicua est, sed illo suffixo nomina causativa et activae notionis formari videntur; verum haec notio radicis intransitiva vi efficitur, ac semper illa vocabula eam dicunt rem, de qua agitur, vel, quae in agendo respicitur vel, qua id, quod valet radix, efficitur, *der Gegenstand, das Mittel zu einem Zustande, Vorgang, der Gegenstand, in dem sich der Vorgang äussert.* Quod imprimis in vocabulis reperitur, a verbis profectis, quae animi motus cujusdam notionem habent, quae tamen nonnunquam ad radices notionis transitivae referenda sunt:

21. *μήνῑ-μα, μηνί-ειν* (cf. Curt., *Grdz.* 584) = irasci, succensere, *zürnen, grollen:* amplificata e stirpe *μεν, μαν;* cf. Curt. *Grdz.* 292. Fick I, 146. Ergo *μήνῑμα* ea res est, cui irascitur et succenset aliquis, id, quo ira efficitur: *Gegenstand, Ursache zum Zorn, Zornerregungsmittel.* cf. *X*, 358: *μή τοί τε θεῶν μήνιμα γένωμαι.*

22. *ἔρισ-μα,* rad. *εριδ* = certare, rixari, *streiten, hadern; ἔρις* = certatio, rixa; *ἔρισμα:* qua de re certatur, rixa est. *Gegenstand, Grund zum Streit.* cf. Il. *Δ*, 38: *σοί καὶ ἐμοὶ μέγ᾽ ἔρισμα μετ᾽ ἀμφοτέροισι γένηται,* lat. = certa-men (cf. Virgil, georg. II, 530: certamina ponere); irrita-men, irrita-men-tu-m. cf. Curt., *Grdz.* 318. 585. Fick I, 22.

23. *εὖγ-μα,* rad. *εὐ-χ* a stirpe: *εὐ* = gloriari, *sich rühmen* proficiscens (cf. Curt., *Grdz.* 654) = id, quo gloriatur aliquis. cf. *χ,* 249: *κενὰ εὔγματα εἰπών.*

24. *ἄθυρ-μα,* rad. *ἀθυρ,* quae invenitur in *ἀθύρω* = ludo, oblector. *ἄθυρμα* = id, quod luditur, quo oblectatur aliquis, *das zum Spielen, zur Belustigung Dienende, das Spielzeug.* cf. *o*, 417: *μυρί᾽ ἄγοντες ἀθύρματα νηῒ μελαίνῃ. σ*, 323: *δίδου δ᾽ ἄρ᾽ ἀθύρματα θυμῷ. O*, 363: *ὥστ᾽ ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα.* hymn. in Merc. v. 32, ubi lyra dicitur, *πόθεν τόδε καλὸν ἄθυρμα* = ob-lectamen, oblecta-mentum.

25. *ἄγαλ-μα,* rad. *α-γα-λ* (*ἀγάλλεσθαι* = gaudere, laetari, gloriari). cf. Curt., *Grdz.* 163. *ἄγαλμα* = *πᾶν, ἐφ᾽ ᾧ τις ἀγάλλεται* (Hesychius), id, de quo laetatur, delectatur, gaudet, gloriatur aliquis, *das zum Prunken, sich Freuen Dienende, das Mittel zur Freude, das Prunkstück.* cf. *δ*, 602: *ἵππους . . . ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα. θ*, 509: *ἢ ἐαᾶν μέγ᾽ ἄγαλμα, θεῶν θελκτήριον εἶναι. γ*, 438: *ἵν᾽ ἄγαλμα θεὰ κεχάροιτο ἰδοῦσα. Δ*, 144: *ἔλεφας . . . . βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα ἀμφότερον, κόσμος θ᾽ ἵππῳ; ἐλατῆρί τε κῦδος* = de-lecta-mentum, orna-mentum.

26. *θαῦ-μα,* rad. *θαϝ* (Curt., *Grdz.* 238) = mirari, *staunen, schauen* = id, quod miratur aliquis = *τὸ θαυμαστόν, das Mittel, der Gegenstand des Staunens, der angestaunt wird, das Wunder;* quare: *θαῦμα μ᾽ ἔχει* (*κ*, 326) non = miratio me tenet, sed miraculum me tenet, *nicht: Staunen hält mich, sondern, Ein Wunder, etwas Wunderbares hält mich fest, dass Du nämlich u. s. w.* (cf. etiam Fick I, 103, qui aliam tribuit vocabulo radicem: dhû = sonare, mente agitare).

27. *πῆ-μα,* rad. *πα-θ* (*πεν-θ*) a stirpe *πεν, πον* proficiscens

(cf. Curt., *Grdz.* 255. 653). πέν-ο-μαι, πον-έω = patior, doleo, laboro, *leide.* πῆ-μα = παθ-μα (cf. Fick I, 138) = id, quod patitur aliquis, *der Gegenstand des Leidens*, quamobrem: πήματα πάσχειν dicitur; id, quo efficitur, ut doleat, laboret aliquis, qua de causa homo dicitur πῆμα = is, qui malum excitat, affert. Conferas *Γ*, 160. *Z*, 282. *K*, 453. *Λ*, 347. *X*, 288, 421. *μ*, 125. *ϱ*, 446, praecipue: *Γ*, 50, ubi e contrario ponitur χάϱ-μα.

28. μνῆ-μα, rad. μνᾱ = meminisse, a stirpe: μεν, μαν = manere formata. cf. Curt., *Grdz.* 292. Fick I, 157. 146. μι-μνή-σκ-ω = mon-eo. μνῆμα = ea res, qua memoria excitatur, *das zum Gedenken Dienende, das Mittel zum Gedenken, das Denkmal* = mon-umentum.

29. ῥεῦ-μα, rad. ϱυ, σϱυ = fluere, *strömen, fliessen,* cf. Curt., *Grdz.* 329. Pott, *Wurzelw.* I, 1370. ergo ῥεῦμα = id, quod fluit, *der Fluss, Strom.*

30. μελέδη-μα, rad. μελεδαν (μελεδαν-j-ω = μελεδαίνω) Curt., *Grdz.* 309. μελεδα(ν)μα = μελέδημα. μελεδαν radix cum stirpe: μελ μέλειν = curare, sollicitari conferendum est, μελέδημα igitur: causa curandi, id, quo efficitur cura, sollicitudo: *der Grund, Gegenstand des Sorgens*, non ipsa cura, *Sorge*, sed id, quo sollicitatur aliquis, quod curam excitat. *Ψ*, 62: ὕπνος, λύων μελεδήματα θυμοῦ. *δ*, 650; *ο*, 8.

§ 6.

His, quae attuli, exemplis, quum satis mihi probatum esse videatur, eam vim inesse in altera vocabulorum -ματ suffixo formatorum parte, jam ad alteram transeamus partem, quae ea continet vocabula, quibus inesse statuo ejus rei, quae agendo efficitur, notionem: *das Ergebniss der Handlung.*

31. ἅϱ-μα, rad. αϱ (ἀϱ-αϱ-ί-σκ-ω) = coagmentare, artare. ἅϱμα id est, quod coagmentando efficitur, *das Ergebniss des Fügens, das Zusammengefügte, der Wagen*, vehiculum. cf. Curt., *Grdz.* 641. 317.

32. δῶ-μα = δομ-μα, rad. δεμ, δομ (οἰκο-δομ-εῖν = exstruere, aedificare), *bauen.* δῶ-μα id est, quod exstruendo, aedificando efficitur, *das Ergebniss des Bauens, der Bau, das Haus:* dom-us, quae vox alia ratione formata, sed ejusdem radicis est. cf. Fick, I, 87. Curt., *Grdz.* 220.

33. κτῆ-μα, rad. κτα = parare, acquirere (de principali stirpe

κτι = incolere profecta); κτῆμα = id, quod parando efficitur: *das Ergebniss des Erwerbens, der Besitz, κτήματα = Schätze.* Curt., *Grdz.* 149. Fick I, 54.

34. κῦ-μα, rad. κυ, skt. çvi = tumere, crescere. κῦμα = id quod tumendo efficitur, *die Woge, die Welle.* Curt., *Grdz.* 149. Fick I, 44. Pott., *Wurzelw.* I, 710.

35. οἶδ-μα, rad. οιδ (οἶδος, οἰδάω) = skt. ud, tumere (Curt., *Grdz.* 150. Pott. I, 242). Itaque οἶδμα id, quod tumendo efficitur, *der Schwall, die Brandung* est.

36. κύρ-μα, rad. κυρ (κυρ-έ-ω) = tangere, incidere in aliquid: *treffen, antreffen* (Curt., *Grdz.* 150). κύρμα id quod tangendo efficitur, *das Ergebniss des Antreffens, der Fang, die Beute* = praeda.

37. ποίκιλ-μα, ποικιλοῦν = variare, *bunt machen.* ποίκιλμα id quod variando, acu pingendo efficitur, *die bunte Arbeit, Stickerei,* opus acu pictum. cf. *Z,* 294 (Curt., *Grdz.* 156. Fick I, 124).

38. πτύγ-μα, rad. πτυχ (πτύσσειν = πτυχ-j-ειν) plicare *falten* (Curt., *Grdz.* 454, 462). πτύγμα id est, quod plicando efficitur, *die Falte,* ruga, sinus. cf. *E,* 315.

39. ὕφα-σ-μα, rad. ὑφα (ὑφάω) (Curt., *Grdz.* 278): amplificata stirpe ὑφ = texere. ὕφασμα id est quod texendo efficitur, *das Ergebniss des Webens, das Gewebe, Gewebte* = textum. cf. *γ,* 274.

40. νῆ-μα, rad. νε = ne-re (Curt., *Grdz.* 295): id quod nendo efficitur, *das Ergebniss des Spinnens, der Faden, das Garn, Gespinnst.* cf. *δ,* 134, ubi id, quod netur, εἶρος dicitur: τάλαρον ... νήματος ἀσκητοῖο βεβυσμένον· αὐτὰρ ἐπ᾽ αὐτῷ ἠλακάτη τετάνυστο, ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχουσα, lat. nē-men. Praecipue nomen plurale id, quod nendo effectum est, *das Gespinnst,* vel fila jam texta, *das Gewebe* dicit: *β,* 98. *τ,* 143. *ω,* 163: μή μοι μεταμώνια νήματ᾽ ὄληται.

41. μελίτω-μα, rad. μελιτο (μελιτό-ω = melle condio, *mit Honig verarbeiten*), μελίτωμα igitur id est, quod melle conditum est, *das Ergebniss des Arbeitens, Mischens mit Honig, das Honiggebäck* (cf. Batrach. 39), placenta mellita.

42. χεῖ-μα, rad. χι = saevire, de frigido vento dictum, *kalt stürmen* (Curt., *Grdz.* 190): χεῖμα id est, quod saevientibus frigidis ventis efficitur, tempestas, imber, deinde hiems. cf. *ξ,* 487. *η,* 118. *λ,* 190.

43. *καῦ-μα,* rad. *καυ, καϝ* = urere, *brennen, καῦμα* id, quod urendo efficitur, *das Ergebniss des Brennens, der Brand:* incendium, aestus, *die Hitze, Schwüle.*

44. *φλέγ-μα,* rad. *φλεγ* = rad. urere, *brennen,* flagrare, *lodern. φλέγμα* id, quod flagrando efficitur, *das Ergebniss des Loderns,* flamma. cf. *Φ,* 337: *φλέγμα κακὸν φορέουσα.*

45. *χεῦ-μα,* rad. *χυ* = fundere, *giessen. χεῦμα* id est, quod fundendo efficitur, *das Ergebniss des Giessens, der Guss,* ferramentum fusum. cf. *Ψ,* 561: *θώρηκα . . . χάλκεον, ᾧ πέρι χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο — ἀμφιδεδίνηται.*

46. *ἅλ-μα,* rad. *ἁλ* = sal-ire *springen. ἅλμα* id, quod saliendo efficitur, *das Ergebniss des Springens, der Sprung.* cf. *Θ,* 103: *πύξ τε παλαισμοσύνῃ τε καὶ ἅλμασιν ἠδὲ πόδεσσεν. Θ,* 128: *ἅλματι δ᾽ Ἀμφίαλος πάντων προφερέστατος ἦεν.*

47. *ἴθ-μα,* rad. *ι* = ire, *gehen,* amplificata *θ* litera, cf. Curt., *Grdz.* 64. 373: *ἴθμα* id quod eundo efficitur, gradus, *das Ergebniss des Gehens, der Schritt, Tritt.* cf. *E,* 778 (hymn. in Apoll. 414): *τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ᾽ ὁμοῖαι* (numero plurali efficitur gressus).

48. *νεῦ-μα,* rad. *νυ* (*νεύ-ω-* = nu-o, *nicke*); *νεῦμα* id, quod nuendo efficitur, *das Ergebniss des Nickens, der Wink,* nû-men, consilium alteri nuendo nuntiatum.

49. *τραῦ-μα,* rad. *τραυ, τρω,* a stirpe *τερ, τορ* ducta (cf. Curt., *Grdz.* 209. 210) = forare, torquere, *bohren. τραῦμα* id, quod forando efficitur, *das Ergebniss des Bohrens, das Loch, die Wunde:* vulnus, fora-men. Eodem modo eadem e radice formatum est *τρῦμα* = fora-men.

§ 7.

Restat, ut de iis vocabulis illo suffixo formatis disseramus, quae utramque vim complecti et constituisse dixi. Ut conjungantur hae notiones, si respicimus, vim passivam, quae modo duret, modo perfecta sit, in utraque esse communem, fieri facillime potest, quas conjunctas videmus in vocabulis:

50. *δέρ-μα,* rad. *δερ* = deglubere, *schinden* (Curt., *Grdz.* 221. Fick I, 88). *δέρμα* primum id est, quod deglubitur, vel deglubi potest, i. e. cutis, quae corpori inhaeret. *Der Gegenstand, mit dem das Schinden vorgenommen wird, die Haut, so lange sie noch am Körper ist* (cf. *Π,* 341: *ἔσχεθε δ᾽ οἷον — δέρμα.* cf. *ν,* 431); tum:

id, quod deglubendo, detrahendo efficitur, pellis deglupta, detracta, *das Ergebniss des Schindens, das abgezogene Fell.* cf. I, 548: *ἀμφὶ συὸς κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι;* cf. ξ, 24: *τάμνων δέρμα βόειον.* Quin etiam pellis jam tractata et subacta dici *δέρματος* vocabulo potest, corium, *Leder*, cf. *Z*, 117. *β*, 291. *δέρμασιν ἐν πυκινοῖσιν*, per metaphoram dictum *(Schlauch).*

51. *ὄνο-μα*, rad. *γνω; γνο* (*γι-γνώ-σκ-ω*) = no-sc-o, *erkenne*, *ὄ-νο-μα* = *ὄ-γνο-μα.* cf. de formatione Curtium, *Grdz.* 299 (Pott., *Wurzelw.* I, 53; Fick I, 112), skt. nâ-man; lat, no-men, co-gnomentum, goth. na-mô (rad. na-man). *ὄνομα* primum id dicit, quo noscitur aliquis, *das Erkennungsmittel, die Bezeichnung, durch die eine Person bekannt wird.* cf. ι, 16: *νῦν δ' ὄνομα πρῶτον — μυθήσομαι, ὄφρα καὶ ὑμεῖς — εἴδετ'.* Ulisses nomen dicit, ut una cum nomine ipsum cognoscerent. cf. *P*, 260. ι, 366. ο, 256. σ, 5. cf. δ, 710: *ἦ ἵνα μηδ' ὄνομ' αὐτοῦ ἐν ἀνθρώποισι λίπηται.* Si nomen removetur, omnis removetur cognitio.

tum: id quod noscendo efficitur, fama, gloria, *das Ergebniss des Bekanntwerdens, der Ruf, Ruhm.* cf. quod nos dicere solemus: *Er hat sich einen Namen gemacht.* cf. ν, 248: *τῷ τοι, ξεῖν', Ἰθάκης γε καὶ ἐς Τροίην ὄνομ' ἵκει*, cf. ω, 93.

52. *νόη-μα*, rad. *νο-ε* (*νο-έ-ω νό-ο-ς*) = meditari, cogitare, *sinnen, denken.* Referenda est radix ad stirpem *γνω erkennen* (cf. Curt., *Grdz.* 169): *νόημα* igitur:

I. a) id, quo efficitur cogitatio, est, instrumentum cogitandi, *das Mittel zum Denken = Denkkraft, Verstand, Sinn*, sensus, consilium, mens. cf. *T*, 218: *νοήματι προβαλέσθαι.* ν, 330: *αἰεί τοι τοιοῦτον ἐνὶ στήθεσσιν νόημα.* υ, 82. σ, 215. υ, 346. η, 292.

b) id quod cogitatur, *der Gegenstand, um den sich das Denken dreht, der Gedanke, während er gedacht wird:* quamobrem *νόημα* celeritatis imago dici potest. η, 36. hymn. in Apoll. 186.

II. id, quod cogitando, meditando efficitur, *das Ergebniss des Denkens, der fertige Gedanke.* cf. *K*, 104: *οὔ θην Ἕκτορι πάντα νοήματα μητίετα Ζεύς — ἐκτελέει.* cf. β, 121.

53. *ὄμ-μα*, rad. *ὀπ* = spectare, videre, *sehen, blicken* (Curt., *Grdz.* 423. Fick I, 1), *ὄμμα* = *ὀπ-μα:*

1) id est, quo videtur, spectatur aliquid, oculus, instrumentum videndi, *das Mittel zum Sehen, das Auge, der Blick.* cf. *Γ*, 217. *Θ*, 349. ε, 47. Batr. 97.

2) id, quod visum est, vel videndo efficitur, *das Ergebniss des*

Sehens, das Gesicht, die Erscheinung. cf. Soph. Ajac. vers. 1004: *ὦ δυςθέατον ὄμμα καὶ τόλμης πικρᾶς.*

54. *σπέρ-μα,* rad. *σπερ.* (*σπέιρ-ω-* = *σπερ-j-ω*), spergere *zerstreuen.* cf. Curt., *Grdz.* 270. Fick I, 215.

σπέρμα: 1) id est, quod spergitur vel spergi potest, *das zum Zerstreuen Dienende, das Saamenkorn, die Aussaat.* cf. hymn. in Cer. 354: *σπέρμ' ὑπὸ γῆς κρύπτουσα.* cf. *ε,* 490: *σπέρμα πυρὸς σώζων.*

2) id quod spergendo efficitur, sementis, seges, *der aufgehende Saamen, die Saat.* cf. hymn. in Cer. 308: *οὐδέ τι γαῖα σπέρμ' ἀνίει,* lat. sê-men.

55. *βῆ-μα,* rad. *βα* = ire, ingredi, *gehen, treten* (cf. Curt., *Grdz.* 431. Pott, *Wurzelw.* I, 16. Fick I, 58). *βῆμα* 1) id quod eundo, ingrediendo efficitur, vestigium, *das Ergebniss des Tretens, der Tritt, Fusstapfen.* cf. hymn. in Merc. 222: *βήματα δ' οὔτ' ἀνδρὸς τάδε γίγνεται.* h. i. Merc. 345: *τῆσιν γὰρ βουσὶν ἐς ἀσφοδελὸν λειμῶνα ἄντια βήματ' ἔχουσα κόνις ἀνέφαινε μέλαινα.*

2) id quod ingrediendo est, *das was zum Treten, Darauftreten dient,* quod ingreditur aliquis, *die Stufe, Bühne,* tribunal.

56. *χάρ-μα,* rad. *χαρ,* skt. har = amo, desidero (*χαίρ-ω*). cf. Curt., *Grdz.* 187. Fick I, 68. Ergo *χάρμα:*

1) ea res est, quae desideratur, amatur, de qua laetatur aliquis, res grata, *der Gegenstand, das Mittel der Freude.* cf. *Γ.* 50, ubi e contrario *πῆμα* invenitur: *πατρί τε σῷ μέγα πῆμα πόληϊ τε παντί τε δήμῳ, δυσμενέσιν μὲν χάρμα, κατηφείην δὲ σοὶ αὐτῷ.* cf. *Ξ,* 325: *χάρμα βροτοῖσιν. P,* 636: *χάρμα φίλοις ἑτάροισιν γενώμεθα.*

2) id, quod desiderando, amando efficitur, voluptas, *das Ergebniss der Freude, das Vergnügen, Behagen.* cf. *τ,* 471: *τὴν δ' ἅμα χάρμα καὶ ἄλγος ἕλε φρένα. ζ,* 185.

57. *ῥῆ-μα,* rad. *ερ, ϝερ* = dico loquor, *sage, rede* (cf. Curt., *Grdz.* 321), *ῥῆμα* igitur:

1) a. id est, quo efficitur sermo, dictio, id quod dicitur, *das Wort, das Mittel zum Reden, das zum Reden Dienende.*

b. ea res, de qua in dicendo agitur, *der in Rede stehende Gegenstand.*

2) id quod dicendo, loquendo efficitur, *der Ausspruch,* dictum (cf. *ῥῆμα Ὁμήρου* etc.).

58. *λῦ-μα* (cf. Curt., *Grdz.* 344. Pott, *Wurzelw.* I, 1300), rad. *λυ* = lu-ere, eluere, lavare *spülen.* *λῦ-μα*:

1) id est, quod luitur, eluitur, sordes, *das was abgespült wird, der Schmutz.* cf. *Ξ*, 171: *λύματα πάντα κάθηρεν.*

2) id quod luendo efficitur, eluvies, *das Ergebniss des Spülens, das Spülicht.* cf. *Α*, 314: *οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.* lat. purga-mentum.

§ 8. DE *ΠΡΑΓΜΑΤΟΣ* VOCABULI PRINCIPALI NOTIONE.

Sed haec hactenus! Satis enim exemplorum attulisse mihi videor, ad demonstrandam explicandamque illam vim passivam, quam vocabulis suffixi -*ματ* ope formatis vindico, quae cum duplex esse possit, primum id, quod agitur, vel eam rem, de qua agitur, quae ad agendum quodammodo attinet, dicunt, deinde id, quod agendo efficitur. Qua re constituta ac probata, si ad ipsum *πρᾶγμα* vocabulum transimus, quod, ut antea dictum est, a *πράσσειν* veri et germani agendi verbi radice proficiscitur, quodque tertio eorum vocabulorum ordini tribuo, quae utramque complectantur notionem, de ejus notione vix quidquam restat dicendum; nam, quae de totius familiae vocabulorum suffixo illo formatorum vi ac notione exposuimus, cum iis de statuenda *πράγματος* significatione verbo tenus utamur, ipsam et propriam vocabuli adipiscimur notionem, quae, ut illa repetamus:

primum: id est, quod agitur, peragitur, vel ea res, de qua agitur sive agendum est; *dasjenige, wovon gehandelt wird, der Gegenstand, an dem sich das Handeln äussert, um den sich die Handlung dreht, ein Handel.*

deinde: id quod agendo, peragendo efficitur, *das Ergebniss des Handelns.* Verum, quoniam id, quod agitur, vel id quod agendo efficitur species est maxime indefinita, *πράγματος* vocabulo scriptores Graecos rerum maxime variarum loco uti et illam vocem, ne dicam diversitates, notionis tamen varietates capere videbimus. Omnia autem haec notionis discrimina et varietates ab illa prima agendi significatione duci et derivari nullo negotio, ut multi rivuli uno e flumine emanare, possunt. Quod ad usum attinet, afferendum mihi esse videtur, *πράγματος* aut *πρήγματος* vocabulum in carminibus Homericis nondum inveniri, sed adhiberi et viguisse posterioribus demum temporibus, quibus propter communem notionem et multiplicem potestatem adeo usitatum ac tritum fiebat, ut inveniri

vix posset aliud nomen Graecum, quo totiens tamque varia ratione uterentur scriptores.

PARS II.

DE USU AC NOTIONE QUAM HABEAT ΠΡΑΓΜΑ VOCABULUM APUD ORATORES ATTICOS.

CAPUT A: ΠΡΑΓΜΑ ID, QUOD AGITUR, EST. *GEGENSTAND, OBJEKT DER HANDLUNG.*

§ 9. *ΠΡΑΓΜΑ: HANDEL, GESCHÄFT*, NEGOTIUM.

His generatim et summatim de vocabuli etymologia et usu praemissis jam ad propositum transeamus et, quam varium habeat *πρᾶγμα* vocabulum in oratoribus Atticis usum ac notionem, pertractemus et exponamus. Hac in re, cum ea, quae de propria ac principali vocis notione reperimus, sequenda sint, initium facio ab ea notionis parte, quae id continet, quod agitur, sive agendum est, *der Gegenstand des Handelns.* Quod optime verti voce nostra: *Handel*, Latina: negotii = *Handel, Geschäft* statuo. Negotium quidem, si, quemadmodum formatum sit, rationem habemus, occupationem, actionem aliquam, scilicet id, quod otio contrarium est, significat; sed hac de significatione transit in notionem rei alicujus, quae agitur sive agenda est, transigenda est, unde evenit usus negotii gerendi, agendi, transigendi etc., quem puto usum cum *πράγματος* prima ac principali vi esse comparandum. Nostrum vero: *Handel* e contrario primum: id, quod agitur, sive agendum est, dicit, qua notione amplificata in commercii, mercaturae, occupationis cujusdam vim vertitur. Haec negotii significatio in *πράγματος* vocabulo maxime perspicua et dilucida invenitur, cum hoc modo utitur illo, ut exempla afferam:

Demosthenes: [47, 65]: *πρὸς ὃν οὐδέν μοι πρᾶγμα ἦν:* quocum nullum mihi erat negotium, quocum nihil mihi erat commune. Dem. 21, 195: *πρὸς οὓς μηδέν ἐστί σοι πρᾶγμα.* cf. Dem. 18, 283. 33, 12. 48, 46. Herod. V, 84. cf. etiam Herod. V, 33.

Servat *τὸ πρᾶγμα* hanc negotii notionem apud Dem. 20, 152:

ἵνα μὴ τὸ πρᾶγμα ὥσπερ ἐργασία τισὶν ᾖ, scil. *τὸ σύνδικον εἶναι*. Dem. 37, 53: *οἱ τέχνην τὸ πρᾶγμα πεποιημένοι*. cf. 57, 42; 45. Isocr. 2, 12: *τὴν ἐπιμέλειαν ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις πράγμασι χρησίμην εἶναι*. cf. Isocr. 7, 38. Dem. 52, 22: *παρακαλεῖν αὐτὸν ἐπὶ τὰ αὑτοῦ πράγματα*: advocare eum ad negotia sua. Isocr. 2, 27. Dem. 19, 34. Isocr. 1, 37: *μηδενὶ πονηρῷ πράγματι μήτε παρίστασο, μήτε συνηγόρει*. Dem. 19, 68: *ἐπειδὴ πονηρῶν ἀνθρώπων εἰς τὰ πράγματα αὐτῷ ἐδέησε*. Dem. [25, 31]. Dem. 19, 341: *κατὰ τὰ πρὸς αὐτὸν τὸν Φίλιππον πράγματα*. Thuc. I, 128, 3. Isocr. ep. 4, 11: *ἐμποδιεῖν αὐτὸν πρὸς πολλὰ τῶν πραγμάτων*.

Cum autem negotia non solum privata, sed etiam publica sint, *πρᾶγμα* vel nomen plurale: *τὰ πράγματα* significationem negotiorum immutat et sibi assumit negotiorum publicorum vim: *Staatsgeschäfte*, *Welthändel*, quam saepissime invenimus in oratoribus: in Dem. 9, 2: *τοὺς ἐπὶ τοῖς πράγμασιν ὄντας*, qui rebus publicis praesunt. Dem. 9, 56. 18, 247. prooem. politica 30. Isocr. 7, 22. Thuc. II, 28, 1. Xen. Hell. I, 6, 13: *τῶν τὰ πράγματα ἐχόντων*: qui rerum summae praeerant. cf. Xen. Ath. 3, 8. Isocr. 11, 23: *ἐπὶ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων ἔταξαν*: rebus publicis praeficere. cf. Dem. [10, 20]. Isocr. 8, 50. Hyp. in Dem. pg. 17, 28: *στρατηγοὺς καὶ φύλακας τῶν πραγμάτων*. Dem. [10, 36]: *εἰς τὰ πράγματα εἰςφέρειν*. Dem. 18, 233: *ὅτ' εἰς τὰ πράγματα εἰςῄειν*, cum ad res publicas accederem. cf. And. [4, 1]: *τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἅπτεσθαι*. Dem. 18, 88: *εἰς τὰ πράγματα ἑαυτὸν ἀφειδῶς διδούς*: se totum negotiis publicis dedere. Dem. 1, 20: *ἀντιλάβεσθε τῶν πραγμάτων*: capessite rem publicam! Dem. 8, 43: *ὑπὲρ τῶν πραγμάτων σπουδάζειν*: negotiis publicis consulere. Dem. pro. pol. 9. Isocr. 3, 22. 7, 9. Din. 2, 16. Dem. 19, 268: *πράγματα προδιδόναι*: negotia publica prodere. Aesch. 3, 57: *τοῖς τῆς πόλεως πράγμασιν χρῆσθαι*: negotia publica administrare.

Quare evenit, ut *τὰ πράγματα* reipublicae gubernationem significare possit; illi enim, qui negotia publica administrant, gubernant rempublicam, unde dicit:

Lys. 25, 14: *μεταδιδόναι τῶν πραγμάτων*: aliquem ad gubernandam rempublicam vocare. Thuc. I, 65, 4. Lys. 25, 23: *μετέχοντες τῶν πραγμάτων*, partem administrandae reipublicae capientes. cf. Sueton. Octav. 37. Thuc. VIII, 65, 3. Lys. [20, 13]: *πεντακισχιλίοις παραδοῦναι τὰ πράγματα*. cf. Thuc. VIII, 97, 1. II, 65, 10: *τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐκδιδόναι*. And. 2, 11: *τῶν*

τετρακοσίων ἤδη τὰ πράγματα κατειληφότων. Thuc. II, 30, 3. V, 62, 2. III, 62, 3: *δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν εἶχε τὰ πράγματα.* cf. Thuc. III, 72, 2. Lys. [20, 14]: *καὶ ἤδη μετεπεπτώκει τὰ πράγματα.* Lys. 25, 10. Thuc. VIII, 81, 1. III, 93, 3: *τὰ πράγματα ἔφθειρον καὶ ἐς ὀλιγανθρωπίαν κατέστησαν.*

Eandem servat illa vox notionem cum aliis constituendi, commutandi, tradendi verbis conjuncta: cf. Isocr. 9, 69: *τὴν ὅλην τῶν πραγμάτων διοίκησιν.* Isocr. 15, 232: *Σόλων . . . τὰ πράγματα διέταξε.* Isocr. 15, 174: *τὰ πράγματα τῆς πόλεως τοῖς ἐπιγιγνομένοις οἱ πρεσβύτεροι παραδιδόασι,* ubi ad augendam firmandamque illam notionem etiam *τῆς πόλεως* apponitur, quod, si omittitur, sententiae obesse vix potest.

Lys. 13, 60: *οἱ πράττοντες τότε τὰ πράγματα:* qui tum negotia publica agebant vel rempublicam gerebant. cf. Dem. 18, 286. Thuc. III, 76, 2. Saepe cum nomine adjectivo: *νεώτερα,* conjuncta *τὰ πράγματα* idem valent, quod latine: res novae, *Neuerungen,* unde efficitur enuntiatio: *νεωτέρων πραγμάτων ἐπιθυμεῖν:* i. e. novis rebus studere, quod legimus in: Isocr. 7, 59: *νεωτέρων δόξαιμι πραγμάτων ἐπιθυμεῖν.* Lys. 25, 12.

Eadem vocis notione utitur Lys. 13, 6: *νεώτερα πράγματα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι.* Dem. 24, 206. Isocr. 16, 6: *συνάγει τὴν ἑταιρείαν ἐπὶ νεωτέροις πράγμασιν.* Thuc. VI, 27, 3.

§ 10. *ΠΡΑΓΜΑ* = NEGOTIUM, QUOD IN FORO PERAGITUR, CAUSA, *RECHTSHANDEL.* *ΠΡΑΓΜΑΤΑ* = SIMULTATES, LITES, RIXAE. *ΠΡΑΓΜΑΤΑ* = NEGOTIA CUM LABORE CONJUNCTA.

Sequitur, ut nonnulla dicam de negotiis privatis. Ut negotium, vox Latina, asciscere potest negotii in judicio vel foro peragendi, notionem, vel, ut ipsam et veram hanc notionem prementem vocem requiram, causae cujusdam, *Rechtshandel,* ita *τὸ πρᾶγμα.* Saepe enim subest vocabulo haec vis, quam nostrum *Handel* non minus sibi vindicat. Praecipue nomen plurale, *Händel,* non nisi negotia cum simultate discordiaque conjuncta, vel omissa negotiorum voce, simultates, lites, rixas dicit; itaque *πραγμάτων* vocabulo saepissime subjicitur haec notio, qua in actionibus, quas in judicio habuerint, imprimis oratores uti invenimus, ut efficiatur idem, quod voces valeant Latinae: lites, causae, *Rechtshändel, Prozesse,* vel rixae, simultates: *Streitsachen, Händel.* Ut exemplis utar, legitur in:

Dem. 45, 12: *πρὸς ὃν τὰ πράγματα ἐγίγνετό μοι*, vel Ant. 6, 12: *ἐτύγχανέ μοι πράγματα ὄντα πρὸς Ἀριστίωνα κ. τ. λ.* quos locos vertamus: quocum mihi lites causaeque erant, vel: erant mihi forte causae agendae cum Aristione etc. Lys. 29, 10. Isocr. 17, 26: *ὑπολοίπων ὄντων ἡμῖν ἔτι πραγμάτων*, quum nobis etiam discordiae reliquae essent. Dem. 20, 152: *πρότερόν τισι πράγμασι σύνδικος γέγονα:* jam antea quasdam causas patronus suscepi. Ant. 5, 21: *ἕνεκα πραγμάτων ἰδίων*, propter simultates vel inimicitias privatas. Dem. 21, 177: *ἴδιον πρᾶγμα:* causa sive inimicitia privata. Dem. 32, 32.

Itaque conjungitur *πράγματα πράττειν*, quod Latinum: causas agere est, a Demosthene in orat. 36, 53. Lys. 12, 3; vel a Dem. 54, 1: *πράγματα ἐπάγεσθαι:* causas alicui inferre. — Eadem fungitur illa vox notione in Dem. 27, 1: *οὐδὲν ἂν ἔδει δικῶν οὐδὲ πραγμάτων*. cf. Lys. frgm. 10, 1 (sequor Lysiae orationes editas a Car. Scheibe). cf. Ant. 2, α, 1. Etiam *πράγματος* numerus singularis hanc servat notionem apud Lys. 8, 18: *ὅταν ᾖ τί μοι πρᾶγμα*, quotienscunque mihi est causa. Isocr. 17, 26: *τέλος εἶχεν ἡμῖν τὸ πρᾶγμα*. cf. Dem. 58, 37. Isae. 2, 47: *ἐπειδὴ τὸ πρᾶγμα εἰς ὑμᾶς ἀφῖκται:* causa ad vos progressa. Din. 1, 105: *παρειλήφατε παρὰ τοῦ δήμου τὸ πρᾶγμα*. Dem. 21, 218. Dem. 19, 117: *ἵνα τὸ πρᾶγμ' αὐτὸ τοὺς αἰτίους εὕρῃ*. Aesch. 2, 13: *ὡς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ἔδειξεν*. cf. Aesch. 3, 141. Dem. 21, 110. Isae. 9, 24: *πωλῶν τὸ πρᾶγμα*. Dem. 24, 122. 22, 11: *ἐπὶ τῇ τῶν λεγόντων δυνάμει τὸ πρᾶγμα καταστῆσαι*. 21, 90: *πρὸς ἐμὲ τὸ πρᾶγμα καταστήσασθαι*. 37, 10: *ὁρᾶν τὸ πρᾶγμά μοι περιεστηκὸς εἰς ἄτοπον*. — Maxime autem apparet hic vocabuli usus, cum dicunt oratores: *πραγμάτων ἔμπειρος* vel *ἄπειρος*, quod est: causarum sive juris peritus vel imperitus: *πραγμάτων ἔμπειρος* invenitur in Ant. 2α, 1. cf. 5, 7. Lys. frgm. 54; *πραγμάτων ἄπειρος* in: Dem. 27, 2. 53, 13. 55, 7. [59, 72; 81]. Lys. frgm. 10, 1.

Illa vero e notione negotiorum altera emanat paullum immutata, nam, cui negotia sint peragenda, causae sint agendae vel, ut sermone nostro utar, *wer zu thun hat*, *oder wer Händel hat*, cum illi cum agendo labores molestiaeque sint conjuncta, cum ipsa negotia sint laboriosa et molesta, mirum esse non potest, quod *πρᾶγμα* vocabulum in laboris, molestiae, operae, *Arbeit*, *Mühe*, *Beschwerlichkeit*, notionem transit. Negotium quidem pari modo fungi potest laboris vel operae notione; exempli gratia: nullo negotio idem va-

let, quod sine labore, sed, quoniam negotium primum occupationis cujusdam vim habet, facilius negotii nomine labor, significari potuit. Attamen illud quoque, quod perficiendum, peragendum est, si hanc primam premimus *πράσσειν* verbi significationem: labor, opera dici potest. Omnino autem id statuendum ac retinendum est, *πρᾶγμα* non tam ipsam molestiam, ipsum laborem esse quam rem molestam, laboriosam, quo efficitur, ut *πράγματι*, multo autem magis et aptius *πράγμασι* laboris, operae, molestiae notio subjiciatur, quam invenimus in Dem. 1, 20: *ἄνευ πραγμάτων: ohne Schwierigkeiten:* sine molestiis, nullo negotio. Xen. An. 6, 36: *καὶ οἱ ἄλλοι λοχαγοὶ συνῆλθον, οἱ μὲν σὺν πράγμασιν, οἱ δὲ ἄνευ πραγμάτων.* Dem. 9, 74: *ὑμεῖς οἴεσθε ἂν ἀποδράσεσθαι τὰ πράγματα.* Dem. 6, 36: *οὐδὲν ἂν ἦν τῇ πόλει πρᾶγμα:* nihil curae ac laboris esset rei publicae. Dem. 8, 31. 14, 14. 16, 26. 45, 64. Isocr. ep. 6, 6.

Quae nobis notio premenda est in vertenda enuntiatione *πράγματα παρέχειν: Jemandem zu thun, zu schaffen machen,* quod saepissime in oratoribus invenitur: id valens, quod Latinum: molestias exhibere vel discordias, rixas, labores concitare. cf. Dem. 8, 37; 60. [10, 62]. 21, 17; 117. 39, 34. 40, 10; 12. [47, 28]. 48, 7. 50, 44. Lys. 10, 15. Isocr. 10, 1. 12, 247. 15, 8; 39; 148; 241. Isae. 8, 3. 11, 13; 16. Hyp. p. Eux. pg. 7, 17. pg. 17, 23. Dem. 21, 123: *πράγματα ἀντιπαρέχειν.* Idem valet illud Isocratis 15, 15: *πράγματα ποιεῖν ἐπεχείρησεν.* Dem. [47, 28]: *εἰς τοσοῦτο δικῶν καὶ πραγμάτων προβέβηκεν.* Cui enuntiationi e contrario respondet: *πράγματα ἔχειν:* rixas molestiasque habere. Dem. 24, 203. 29, 3. 41, 1. [47, 4; 23]. [58, 11] pro pol. 24. Lys. 3, 32. 6, 12. 7, 1. frgm. 28. Isocr. 7, 33. Isae. 8, 40.

Simile quid est in Dem. 18, 292: *εἰς πράγματα ἐμπεσεῖν.* cf. Dem. 19, 340. Isocr. 6, 93. — Eandem invenimus notionem in enuntiatione: *πραγμάτων ἀπαλλάττεσθαι,* quae legitur apud Dem. in orat. 1, 8: *πάντων τῶν μετὰ ταῦτ᾽ ἂν ἦτε ἀπηλλαγμένοι πραγμάτων:* omnibus, quae postea vobis erant, liberi fuissetis molestiis laboribusque. cf. Dem. 36, 2. 47, 5. Ant. 6, 35. Isocr. 18, 39. Isae. 2, 30. 8, 44.

§ 11. DE VOCABULIS CUM *ΠΡΑΓΜΑΤΟΣ* VOCE COMPOSITIS VEL AB EA DERIVATIS.

Haec mihi sunt exempla afferenda, ut probem: *πράγματος* primam ac principalem notionem eam esse, quae nostro *Handel,*

Latino: negotio respondeat, et de qua nullopere deriventur nonnullae notionis varietates; sed priusquam de negotiis decedamus et ad aliam transeamus notionem, quae vindicari vocabulo possit, pauca addam de vocibus compositis, quarum altera pars πρᾶγμα vel πράγματος radix sit, et de vocabulis ab eo derivatis. Servant enim pleraque negotiorum vim, servant eas, quas hac a vi duximus, notiones.

Ut a negotiis ordiar, πραγματεύεσθαι verbum et πραγματεία nomen, occupationem cujusvis negotiorum generis dicunt atque idem valent, quod Latinum, negotia agere, vel πραγματεία idem, quod negotium, est, cui illam, de qua supra dictum est, actionis occupationisve vim vindicamus. His in vocabulis jam valet et dominatur negotiandi vis, ut πραγματεύεσθαι saepe negotiari, *Handelsgeschäfte betreiben*, est, πραγματευτὴς negotiator, mercator. Maxime usitatae ac tritae ab oratoribus voces: φιλοπράγμων, πολυπράγμων, φιλοπραγμοσύνη, πολυπραγμοσύνη etc. sunt, quae sedulitatem ad multas res pertinentem dicunt, quae imprimis Philippo regi a Demosthene tribuitur. Sed haud raro cum hac sedulitatis multas res continentis notione vituperatio quaedam conjuncta est, quae, cum negotiis, ad quae spectat illa sedulitas, quod inesse in πραγμάτων voce vidimus, rixarum, rerum novarum notio subjicitur, vocibus nostris: *Händelsucht*, *Neuerungssucht*, reddenda est.

Negotiorum publicorum vim servant: πραγματικός et πραγματομαθής, nomina adjectiva; πραγματομαθής, quod rerum publicarum peritum dicit, πραγματικός, quod et: „civilis“, et: „rerum publicarum, gerendae reipublicae peritus“ esse potest, nec minus causarum vel litium notio hoc in vocabulo desideratur, quod: jurisperitus, jurisconsultus verti potest eodem modo, quo illud, quod supra attuli: πραγμάτων ἔμπειρος. Haec cum altera molestiarum notione consociata vis invenitur in vocabulo ἀπράγμων, molestiarum sive litium expers. cf. Dem. [10, 70]: ἀπράγμων = nullo negotio. Dem. 21, 83: ἄνθρωπος ἀπράγμων: homo non cupidus litium et rixae. cf. 40, 32 et al.

Ultimam vero et solam notionem molestiarum nomen adjecvum: πραγματώδης = πραγματο — ειδής praestat, quod idem valet, quod Latinum: molestus, laboriosus.

§ 12. *ΠΡΑΓΜΑ* = ID QUOD AGITUR, IN AGENDO RESPICITUR, RES PERAGENDA.

Id vero, quod agitur, agendum est, ut redeamus ad illam primam ac propriam notionem, vel, quod peragitur, peragendum est, ut peragendi notionem, quam in *πράσσειν* verbo invenimus a penetrandi vi profectam, jam spectemus ac retineamus, non solum negotium, *Geschäft*, *Handel*, est, sed etiam id, quod in agendo, peragendo, ut ita dicam, agitur, id, quod in agendo respicitur, ea res, quae agenda, peragenda est, *das was durchgeführt werden soll, dasjenige, um das sich das Handeln dreht*, *der Gegenstand*, *Zweck des Handelns*, ita ut *τὸ πρᾶγμα* eam rem, quam is, qui agit, efficere vult, significet, quem usum multis invenimus locis et saepius patrio sermone: *Unternehmung*, *Vorhaben*, Latino: consilium vel res peragenda vertere illud possumus; nonnunquam autem *Sache*, res dicendum nobis est.

cf. Dem. 18, 231: *ἣν τὰ λοιπὰ τῶν πραγμάτων ἐκεῖνος περιβαλλόμενος ἐπλάττετο:* quam, reliquis rebus peragendis vel consiliis ille circumdans simulavit. Dem. 8, 7: *οὐ γὰρ αἵρεσίς ἐστιν ἡμῖν τοῦ πράγματος*. cf. Isocr. 8, 106. Dem. 19, 3: *ὅτι μοι δοκοῦσιν ἅπαντες ἀγῶνες οὐχ ἧττον τῶν καιρῶν ἢ τῶν πραγμάτων εἶναι*. Isocr. 5, 77. 7, 76. 15, 249; 257. ep. 5, 2.

Haec autem *πράγματος* notio saepe cum verbis conjungitur, quae incipiendi vel suscipiendi vim habent. Dem. 18, 27: *τοῖς λοιποῖς ἐπιχειροίη πράγμασι*, reliquas res sibi gerendas suscipere. cf. Isae. frgm. 1, 3. Isocr. 5, 18; 39. 15, 85. Thuc. VIII, 92, 2. Dem. 18, 141: *τούτου τοῦ πράγματος ἁπτόμενον*. cf. Dem. 21, 155. Aesch. 3, 133. Xen. An. V, 6, 28. Thuc. VIII, 92, 4. 97, 3. Dem. [13, 11]: *ἐντεῦθεν ἄρξασθαι τοῦ πράγματος*.

Similiter eo vocabulo uti oratores censeo, ubi id conjungunt cum verbis potiundi vel adipiscendi aut e contrario: fine excidendi: cf. Isocr. 5, 23: *μηδενὸς πώποτε τοσούτου πράγματος διαμαρτεῖν*, nulla adhuc e re adeo excidisse. cf. Dem. 21, 192. Isocr. 5, 3. ep. 6, 10. 9, 11. Xen. Mem. IV, 2, 28. Isocr. 12, 243: *ἐν ἅπασιν αὐτοὺς ἐλαττοῦσθαι τοῖς πράγμασιν*. Dem. 19, 217. Dem. 18, 200: *νῦν μέν γε ἀποτυχεῖν δοκεῖ τῶν πραγμάτων*. Isocr. ep. 4, 6. Dem. 3, 3: *τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφευγέναι*. Dem. 19, 123: *μὴ . . . καὶ τὰ πράγματα ἐκφύγοι τὸν Φίλιππον*, neve effugerent Philippum ea, quae moliretur. Dem. 18, 33. Ant. 5, 94.

cf. e contrario: Hyperid. epitaph. pg. 12, 1: *συνέβη αὐτῷ τῶν πραγμάτων, ἃ προείλετο, κρατῆσαι:* contigit ei, ut rerum, quas peragendas sibi susceperat, particeps esset. cf. Dem. 2, 27: *πρὶν ἂν τῶν πραγμάτων κρατήσητε:* priusquam rerum propositarum participes essetis. Dem. 19, 300: *τίσι τῶν πραγμάτων ἐγκρατὴς γέγονεν Φίλιππος ἁπάντων, καὶ τίσι τὰ μέγιστα κατείργασται τῶν πεπραγμένων, σκέψασθε· τῷ παρὰ τῶν πωλούντων τὰς πράξεις ὠνεῖσθαι κ. τ. λ.* Hoc loco, cum maxime mihi videatur perspicuum esse, hanc inesse *τοῖς πράγμασι* notionem, cumque illi opponantur e contrario *τὰ πεπραγμένα καὶ αἱ πράξεις*, pauca de eo, quod intersit inter *πρᾶγμα* et *πρᾶξιν* afferam. *Πρᾶξις* semper ipsa actio est, *die Handlung selbst*, *das Handeln*; *πρᾶγμα* vero nunquam in actionis notionem transire potest, sed semper id, quod agitur, eam rem, quae, ut ita dicam, agendi fundamentum est, *den Gegenstand, der dem Handeln zu Grunde liegt, um den sich das Handeln dreht*, dicit. De altera voce: *τὰ πεπραγμένα* infra videbimus. Eandem statuo, quamquam nonnihil immutatam notionem subesse illi vocabulo, si *τὰ πράγματα* vertere possumus: *die Angelegenheiten*, res ad aliquem pertinentes sive spectantes. Nam a quo aliquid agitur, semper res bene agi vel geri ejus interest, nec raro res peragendas vel res agendas dicere possumus: Dem. [13, 7]: *πολλὰ τῶν πραγμάτων τὴν ὑμετέραν ποθεῖ παρουσίαν*, multae res peragendae praesentiam vestram petunt. *Viele Angelegenheiten erfordern Eure Anwesenheit.* Dem. 3, 8: *πρὸς ταῦτα ἐπικλῖναι τὰ πράγματα:* has ad res, scil. ad res, quae ei hic gerendae erunt, se convertere, *sich hierher oder zu diesen Angelegenheiten hier wenden.* Dem. 19, 59: *πάντα τἀκεῖ πράγματα ἀπόλωλε.* Isocr. 15, 237: *ἐν τοῖς ἰδίοις πράγμασιν.* Isocr. 7, 6. 18, 56. Dem. 5, 7: *τῶν κοινῶν πραγμάτων.* 8, 1. 24, 35 etc. Aesch. 2, 49: *ἐν τοῖς οἰκείοις πράγμασιν.* Dem. 6, 35: *τὰ ἔξω πράγματα*, res externae. Isocr. 12, 226. 15, 133. — Itaque hac enuntiatione reddendum esse censeo, cum dicit: Dem. 6, 7: *τὰ ἐν Φωκεῦσι πράγματα.* cf. Dem. 19, 29. Aesch. 2, 131. Dem. 21, 110: *τὰ ἐν Εὐβοίᾳ πράγματα.* cf. Dem. 5, 5. 8, 2. [10, 9]. 18, 188: *τῶν περὶ Θήβας πραγμάτων*, quod aptissime reddamus: acta cum Thebanis: *die Angelegenheiten*, scil. *Verhandlungen mit Theben.* Dem. 2, 22: *ἡ τύχη παρὰ πάντ᾽ ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα:* fortuna in omnibus rebus humanis dominatur. cf. Dem. [11, 15]. Isocr. 2, 6. 15, 321.

Plato, Gorg. 451 D. Conv. 186 B. Lys. 2, 29: *τὰ θεῖα πράγματα.* Isocr. 11, 24.

Iis quae paulo antea dicta sunt efficitur, ut saepe *τὰ πράγματα* vertere possimus: eam rem, quam aliquis in agendo respiciat, meditetur, causam, commodum, *die Sache*, *das Interesse Jemandes.* Quam notionem premit: Dem. 1, 2: *τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστίν:* scil. vobis ipsis cum illorum causa vestram esse conjungendam. *Ihr selbst müsst die Sache Jener in die Hand nehmen.* — Dem. 36, 44: *πολλὰ τῷ σῷ πατρὶ καὶ σοὶ καὶ ὅλως τοῖς ὑμετέροις πράγμασι . . γέγονε χρήσιμος:* saepe et patri tuo et tibi et omnino rebus vel commodis vestris utilem se praebuit. And. 2, 13: *ἐπιμελείας τῶν ὑμετέρων πραγμάτων,* cura et studio rerum vestrarum. cf. And. 2, 17; 28. Isocr. 18, 24. ep. 6, 8. Dem. 19, 19. 36, 51. Aesch. 2, 111. Plato, Apol. 41. C.: *οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα.* Isocr. 18, 42: *τῶν ἡμετέρων πραγμάτων φροντίζοντες.* Dem. 58, 4. Lys. 16, 20. Isocr. 16, 3: *ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ πραγμάτων σπουδάζειν*, cf. [17, 30], rebus suis studere et consulere. Isocr. 5, 6: *τὴν αὐτὴν εὔνοιαν ἔχειν τοῖς σοῖς πράγμασιν.* cf. And. 1, 50.

Ita etiam *τὰ τῆς πόλεως πράγματα* accipiendum est apud Dem. 3, 22: *προπέποται τῆς παραντίκα χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα.* cf. Dem. [10, 76]. 19, 17; 207; 229. 23, 103: *τῷ ἡγουμένῳ τῶν Κερσοβλέπτου πραγμάτων.* Dem. 23, 128; 130. Aesch. 2, 89. Isocr. 5, 103. 7, 80: *τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων.* 8, 55. 12, 11. 15, 116. ep. 9, 18. Hyp. in Dem. pg. 12, 6. Aesch. 2, 121. Thuc. VIII, 45, 1. Dem. 9, 36: *ἄνω καὶ κάτω πεποίηκε πάντα τὰ πράγματα τῶν Ἑλλήνων.* cf. Dem. [10, 51].

Qua evenit notione, ut conjungi possit: *τὰ πράγματά τινι πράττειν:* alicui rem gerere, *in Jemandes Interesse handeln.* cf. Dem. 19, 76: *πάντα τὰ πράγματα ἐκείνοις πράττειν.* cf. 19, 77. — Eodem modo utitur hac notione, quamquam illum, cujus causa est, non nominat, quo clarius hujus usus exemplum frustra quaeritur: Dem. 2, 9: *ὅταν τὰ πράγματα συστῇ*, si res gerendae, ea, quae aguntur, scil. commoda eadem sunt; *wenn die Interessen Hand in Hand gehen, oder wenn die Zwecke dieselben sind.* Dem. 5, 7: *περὶ κοινῶν πραγμάτων,* de commodis communibus.

Quin etiam *τὰ πράγματα,* quod causa alicujus est, pro partibus, *Partei*, alicujus poni potest. Dem. 19, 226: *τοῖς τὰ Φιλίππου πράγματα ᾑρημένοις*, qui Philippi res vel partes praeferunt

sive: qui cum Philippo faciunt. Dem. [58, 19]: *ὃς ἦν ἐπὶ τοῖς τῶν ἀντιδίκων πράγμασι.* Dem. 23, 127: *ἐπειδὴ δὲ οἴεται τὰ Φιλίππου πράγματα συμφέρειν αὑτῷ μᾶλλον* . . .

Sin autem id, quod agitur, ipsum facinus est, sive illud jam peragitur, committitur, sive postero demum tempore perficietur, *πρᾶγμα* facinoris nomine, nostri sermonis vocibus: *Handlung, That,* vertere possumus; semper autem illud est servandum in cognoscendo et percipiendo hoc usu, quod antea de discrimine *πράγματος* et *πράξεως* dictum est. Ipsum agendi statum, *das Handeln selbst*, *den Zustand der Handlung*, nunquam sibi vindicare potest illud vocabulum, sed id dicit, quod agit vel facit aliquis. Itaque *πρᾶγμα ποιεῖν* sive *πράττειν*, facinus committere sive perficere, saepissime invenitur: apud Dem. 25, 37: *γυναίου πρᾶγμα ἐποίει:* muliebre facinus committebat. Dem. 18, 112: *ποιήσαντα πρᾶγμα φιλάνθρωπον.* cf. Dem. 21, 104. Isae. 2, 23. Lys. 3, 7. Herod. VI, 63. VII, 150. Aesch. 1, 47. Ant. 6, 51. And. 2, 14. Dem. 22, 42. 19, 133. 23, 4. 34, 6. 37, 39. 45, 16. 8, 75. Lycurg § 90: *οὐ γὰρ τοῦ πράγματός ἐστι σημεῖον, ὡς οὐ πεποιήκασι.*

Et, si societas facinoris spectatur, cum verbo *κοινωνεῖν* aliisque similibus conjungitur *τὸ πρᾶγμα:* Dem. 32, 30: *κοινωσάμενοι τὸ πρᾶγμα.* cf. Dem. 40, 58: *οἱ κοινωνοῦντες τῶν πραγμάτων.* Din. 1, 33; 34. cf. etiam: Isocr. 11, 35. Lys. 34, 2. — Dem. 21, 72: *ἐπὶ τοῦ πρᾶγματος:* in ipso facinore. Dem. 54, 32: *παραγενόμενοι τῷ πράγματι:* ii qui, cum committeretur illud facinus, aderant. Isocr. 18, 53: *ἵνα μὴ μεταθεῖντο τὸ πρᾶγμα:* ne facinus ullo modo immutarent; Isocr. 8, 52: *ἐμπειρότατοι λόγων καὶ πραγμάτων,* peritissimi dicendi faciendique. Hac de *πράγματος* notione, quae id, quod in agendo respicitur, *der Gegenstand der Handlung*, est, infra plura videbimus, si ad alteram, quae id quod agendo efficitur continebit, venimus partem. Id enim, quod agitur, quod in agendo respicitur post actionem vel ipsa re peracta, *nach vollendeter Handlung*, ad notionem rei quae agendo efficiatur, scilicet rei peractae prope accedit, ita, ut *τὸ πρᾶγμα,* cum adhuc hanc notionem voce Latina facinus reddere potuerimus, jam „facinus commissum sive perpetratum, factum quod“ sit, *eine vollendete That* sive *etwas Durchgeführtes.* Verum quoniam factum quoddam nemo rem esse, quae agendo efficiatur, negat, quamquam hac, qua usus sum, partitione cogor, ut de *πράγματος* notione, quae nostro: „*That*“ reddatur, duobus locis separatim loquar, ea tamen partitio diligenter mihi vide-

tur esse observanda, quae iis probetur, quae de vocabulorum suffixi -*ματ* ope formatorum notione explicavimus.

Idem est in altera *πράγματος* notione, quam nulla auctoris ratione habita vox capit, ut vertere possimus: *Ereigniss*, *Vorfall:* res, quae agatur, geratur. Sin vero res jam gesta et peracta est, quamquam haec quoque notionis pars nostro, *Ereigniss, Vorfall*, tribuenda est, infra tamen hoc de usu videbimus.

Id quod agitur, geritur, fit, *das was sich ereignet*, *der Vorfall*, *Ereigniss*, illius qui agit ratione non habita *πρᾶγμα* dicit in Dem. 21, 46: *ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα ὁποῖόν τι τὸ γιγνόμενον.* cf. Aesch. 2, 50: *ὡς δεῖ τὸ πρᾶγμα γενέσθαι.* cf. Dem. 20, 87. 22, 57. Aesch. 3, 192. Isocr. 12, 30: *τοὺς καλῶς χρωμένους τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προςπίπτουσιν*, bene uti rebus cotidie accidentibus. Dem. 18, 144. Aesch. 2, 132: *ἡ Φαλ. περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι πραγμάτων ἄγνοια:* cf. Dem. pro pol. 25. Dem. 6, 35: *ἕως οὖν ἔτι μέλλει καὶ συνίσταται τὰ πράγματα:* donec etiamtum morantur et oriuntur res. Dem. 18, 246. Dem. [10, 29]. Isocr. 4, 5. Dem. 8, 11: *τῷ πρότερος πρὸς τοῖς πράγμασι γίγνεσθαι.* Dem. 1, 2. 4, 39. 18, 172. [26, 18]. [ep. 1, 4]. Isocr. 12, 149. Thuc. IV, 132, 3.

cf. Aesch. 2, 28: *ἐπὶ κατασκοπῇ τῶν πραγμάτων.* Dem. pro. pol. 25. Dem. 9, 54: *μή τι δαιμόνιον τὰ πράγματα ἐλαύνῃ.* cf. 18, 306. 4, 14: *ἀναβάλλειν με τὰ πράγματα ἡγεῖσθαι:* res gerendas me dimittere, morare putare. cf. 9, 71. 19, 324.

§ 13. *ΤΟ ΠΡΑΓΜΑ* = ID QUOD IN DICENDO AGITUR, ARGUMENTUM, CAUSA, RES.

Quod vero vidimus, *τοῦ πράγματος* primam ac principalem notionem esse ejus rei, quae agitur vel de qua agitur: *der Gegenstand der Handlung*, *der Gegenstand, um den sich die Handlung dreht, um den es sich handelt*, eadem ratione, qua nostro: *Gegenstand, um den es sich handelt*, uti solemus ad dicendam illam rem, de qua in dicendo aut in quovis genere libellorum agatur, *τὸ πρᾶγμα* saepissime, imprimis apud oratores, ejus rei, de qua in perorando agatur, fungitur notione: *der in Rede stehende Gegenstand*, *die Sache*, *die vorliegt*, *auf die es gerade ankommt*, *das Thema*, *der spezielle Fall:* argumentum, causa dicendi, res.

Rei quidem, vocis Latinae haec notio non est propria, cui, cum compareretur cum voce Sanscrita: *rāí-s*, quae a stirpe: *râ* proficiscitur et casus dativum et ablativum numeri pluralis: *rā-bhjas* = *rē-bus* format,[1]) prima ac principalis notio subjicienda est: *Besitz*, *Habe*, scil. id quod possidetur, sed hac de notione in significationem communiorem: *Gegenstand*, *Ding*, scil. id, quod possideri possit, i. e. *jeder beliebige Gegenstand*, transit. Sed cum hoc *πράγματος* usu maxime comparandam esse puto vocem nostram: *Sache*, quae, quod prima nostrae linguae aetate: *sacha*, media: *sache* erat, et ducta est ab eadem radice, qua verbum linguae Gothicae: *sakan*, nostrae primae aetatis: *sachan*, quod vim habet certandi vel litigandi, id primum valet, quod vox Latina causa sive lis, *ein Handel*, *Streitgrund*, *Rechtshandel*, quam vim *πράγματι* simili ratione vindicandam esse vidimus. Unde proficiscitur: litis cujusdam vel causae argumentum aut rei alicujus quae in perorando spectatur, seu, de qua agitur, notio. Non solum illud, de quo agitur in causa aliqua, et *πράγματος* et nostri, *Sache*, vocibus significatur, sed etiam, quod dicenti forte in mentem venit, vel in mente est. Itaque *τὸ πρᾶγμα* non solum de eo adhibetur, quod in actione quadam, sed quod omnino in dicendo spectatur. Hujus usus exempla cum affero, illud mihi primo loco collocandum esse videtur, quo haud clarius neque aptius inveniri possit. Conjungitur enim *τὸ πρᾶγμα* cum praepositionibus: *εἰς* aut *ἀπὸ* sive *ἔξω* ad exponendum, quod e re aut quod a re alienum sit proposita. Invenimus igitur in: Dem. 57, 33: *ἔξω τοῦ πράγματος διαβάλλειν:* calumnias spargere non ad rem pertinentes vel a re sejunctas. cf. Dem. 57, 63; 66. Lys. 3, 46. Aesch. 1, 170. Hyp. p. Eux. pg. 14, 11. Isae. frgm. 3, 2. Lyc. § 11. 13. 49. — Dem. 24, 6: *ἔσται δὲ ταῦτ᾽ οὐκ ἀπὸ τοῦ πράγματος:* erunt autem illa non a re aliena. — Dem. 57, 7: *εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα λέγειν*, in ipsam rem omnia dicere. Dem. 36, 54, (57, 60): *πάντων μάλιστ᾽ εἰς τὸ πρᾶγμα εἶναι*, longe maxime ad rem pertinere. Dem. 36, 55. — Dem. 54, 26: *οὐδὲν πρὸς τὸ πρᾶγμα:* nihil ad rem. Dem. 40, 61. 57, 64. Aesch. 1, 176: *εἰς τὸν τοῦ πράγματος δρόμον*. Aesch. 1, 57; 178. 3, 97. cf. 3, 200. Ant. 6, 9.

Saepissime vero hac utuntur *πράγματος* notione oratores conjungentes illud cum verbis dicendi ac declarandi, ut exempla af-

---

[1]) cf. Fick. I, pg. 174. Pott., *Wurzelw.* I, 291.

feram: Lys. 9, 1: *ὅτι περὶ τοῦ πράγματος προςήκει λέγειν.* Lys. 8, 11. 14, 16. 23, 1. Dem. 4, 1: *περὶ καινοῦ τινος πράγματος λέγειν:* de nova aliqua re, vel de novo argumento loqui. cf. Dem. 45, 51. 52, 1. 58, 57. Isocr. 4, 12; 188. 5, 30. 8, 1. 10, 1. 12, 110; 213. 20, 22. Isae. 2, 47. 11, 47. frgm. 5, 2. Hyp. p. Eux. pg. 10, 23. And. 2, 1. Dem. 25, 5: *τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ πράγματος λόγους.* cf. Dem. [10, 11]. 56, 45. Hyp. p. Lyc. pg. 21, 9. Aesch. 1, 166. Isae. 3, 17. Ant. 5, 90. 5, 11. Isocr. 12, 35. 4, 14: *τοῦ πράγματος ἀξίως εἰπεῖν:* re sive materia digne loqui; 4, 187. 5, 84. cf. etiam 12, 137. Aesch. 1, 132: *τὸ πρᾶγμα διεξιών.* Aesch. 1, 111. Dem. 29, 28. Dem. 34, 4: *ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος δείξειν.* Dem. 38, 14: *ὅλον τὸ πρᾶγμα ἐπιδεῖξαι.* Dem. 47, 1. Lys. 1, 5. Ant. 5, 14: *διδάξουσι τὸ πρᾶγμα.* Isae. 1, 49. 6, 37. Hyp. p. Eux. pg. 7, 2. Isocr. 2, 9: *ἂν ἐν κεφαλαίοις τὴν δύναμιν ὅλου τοῦ πράγματος περιλάβωμεν.* Isocr. ep. 8, 7: *μὴ τὸ πρᾶγμα μόνον ἐπαινεῖν.* Dem. [13, 1]. Simile quid dicit Isocr. 15, 29: *πολλὰ πρὸ τοῦ πράγματος λέγειν,* multa dicere antequam ad ipsum venerim argumentum vel propositum; Hyp. p. Lyc. pg. 21, 10, atque Aesch. 3, 193: *ἐὰν ἄρα ποθ᾽ ἅψηται τοῦ πράγματος.* cf. Isocr. 18, 1.

Ex his, quos attuli, locis jam patet, saepissime hanc subjicere *πράγματι* aut *τῷ πράγματι* notionem oratores in exordiis, cum eos, qui audiant, ad propositum vocare vel, cum de alia orationis parte ad aliam transire et ad argumentum actionis respicere velint; atque similis mihi illius vocabuli esse usus videtur, ubi Demosthenes dicit: 18, 4: *ὅτι δ᾽ ἂν τὸ πρᾶγμα ἀναγκάζῃ κ. τ. λ.,* cum res ipsa vel ipsum argumentum cogat, ut de me ipso loquar; ubi non tam ipsa causa quam causae vel actionis cursus ab eo dicitur, quod comparandum esse statuo cum illo Aeschinis loco, quem jam supra attuli: 1, 176: *εἰς τὸν τοῦ πράγματος αὐτὸν δρόμον εἰςελαύνειν.*

Aliud quid est, quamvis non dissimile, cum non id, quod oratori propositum est, illo vocabulo continetur, sed res, quae toti causae, toti actioni subest, de qua in litigando agitur: *der Gegenstand des Prozesses, der Grund zur Klage, der Fall:* cui maxime respondet vox nostra: *Sache,* Latina: causa.

Quae *τοῦ πράγματος* notio invenitur in Ant. 1, 1: *δεινῶς καὶ ἀπόρως ἔχει μοι περὶ τοῦ πράγματος.* Isocr. [21, 4]. Lys. 9, 5: *ἀπορούμενος . . τί χρήσωμαι τῷ πράγματι.* Dem. 40, 18. Dem. 21, 111: *καὶ τὸ πρᾶγμα εἰς ὑπέρδεινόν μοι περιέστη.* Dem. 25, 12.

Dem. 21, 9: *ὡς τὸ πρᾶγμα αὐτὸ μαρτυρεῖ.* Dem. 21, 110. — Conjunguntur igitur saepenumero cum illo vocabulo censendi et judicandi verba, ut dicit Hyp. p. Lyc. 28, 9: *ταῦτα δεῖ σκοπεῖν ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πράγματος.* cf. Lys. 1, 43. Dem. 29, 40. 34, 22. 47, 46. [58, 41]: *κρίνειν τὸ πρᾶγμα* dicit Aesch. 1, 79; 85; 153; 186. Dem. 18, 224. 21, 7; 88. [25, 2]. 56, 48. [10, 49]. — *διαγιγνώσκειν:* Aesch. 1, 63. Isocr. 19, 15. Lys. 7, 42. Dem. 48, 3: *δοκιμαστὰς τοῦ πράγματος.* cf. Dem. [61, 35]. — *δικάζειν τὸ πρᾶγμα:* Dem. 52, 2. — *τὴν ψῆφον φέρειν περὶ τοῦ πράγματος:* Dem. 32, 13. Ant. 6, 10. — *εἰκάζειν περὶ τοῦ πράγματος μᾶλλον ἢ σαφῶς εἰδέναι:* Isocr. 17, 54. cf. Dem. [25, 4]. Aesch. 1, 46. Isocr. [17, 9]. Lys. 22, 8. Isae. 4, 14. Ant. 6, 14; 36. — *αἰσθάνεσθαι:* Dem. 18, 133. 21, 17. — *μαθεῖν:* Lys. 26, 15. Dem. [25, 3]. — *ἀκοῦσαι:* Dem. 35, 5. cf. Lys. 7, 37: *ἐκ τεκμηρίων ὑμᾶς περὶ τοῦ πράγματος τἀληθῆ πυθέσθαι.* Isocr. 18, 58: *τεκμηρίῳ χρήσασθαι περὶ τοῦ παντὸς πράγματος.* — *γιγνώσκειν:* And. 1, 134. 2, 1. Isocr. 20, 18. Dem. 24, 5. Aesch. 1, 74. — *θεωρεῖν:* Aesch. 1, 77. 1, 93. Dem. 18, 148; cf. etiam: Aesch. 1, 161: *μὴ τὸ πρᾶγμα ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον ἀλλὰ γινόμενον νομίσατ' ὁρᾶν.* Dem. 32, 3: *εἴπερ ἄλλῳ τινὶ πώποτε πράγματι τὸν νοῦν προσέσχετε.* Dem. 37, 3. Ad partes vero accusantis vel defendentis spectat, quod dicit Dem. 29, 39: *τὸ πρᾶγμα οὐκ ἄγειν εἰς ἔλεγχον ζητεῖν.* Isocr. 16, 38. Ant. 5, 38. Aesch. 1, 184: *τὸ πρᾶγμα εἰς διάπειραν καθιστάναι.* Ant. 1, 12. 6, 49. And. 1, 65. Isocr. 16, 7: *πάλιν ἤγειρον τὸ πρᾶγμα.* Aesch. 1, 123. Hyp. p. Lyc. pg. 23, 18. Ant. 5, 37: *εἰ ἐκ τοῦ εἰκότως ἐξετασθῆναι δεῖ τὸ πρᾶγμα.* Aesch. 1, 175: *ὡς εὖ τὸ πρᾶγμα ὑφείλετο τῶν δικαστῶν.* cf. Dem. 19, 242 [58, 12; 23]. Lys. 26, 3. Isocr. 17, 29: *χαίρειν ἐᾶν τὸ πρᾶγμα.* Aesch. 1, 73. Dem. [58, 47]. Isocr. 20, 2. Dem. 21, 8. 29, 54 et al.

Rem autem accusati is, qui dicit, intuetur in Dem. 27, 41: *ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἐξελεγχθησόμενοι.* Dem. 21, 226. 37, 25. Ant. 6, 46: *προσήκειν μοι τούτου τοῦ πράγματος οὐδέν.* cf. etiam And. [4, 4; 34]. Dem. 23, 162. 48, 36. Isocr. 11, 25. Ant. 6, 16. Dem. 24, 9: *τοῦ πράγματος οὐκέτ' ὄντος ἀμφισβητησίμου.* Dem. 27, 16. 30, 34. 44, 40. Din. 1, 89. Isocr. 19, 2. Isae. 4, 5: *ἁπλοῦ ὄντος τοῦ πράγματος.* Isae. 1, 41: *διὰ τὴν τοῦ πράγματος ἀλήθειαν.* cf. Isae. 3, 25; 27; 34. 3, 39; 49. 8, 27. Demad. § 6. Isocr. 2, 46. Ant. 5, 86. Isae. 8, 20. Dem. 45, 2.

Rei autem, de qua agitur, e notione alius *πράγματος* usus

emanat. Quoniam non necesse est, ut jam supra diximus, omnino actionis cujusdam vel litis causam esse *τὸ πρᾶγμα*, saepius vero orationis causam vel eam, quae ab eo, qui dicit, forte respicitur, rem, sive causam significat; nonnunquam invenimus ita positum, ut sequentis periodi argumentum praesumat aut praecedentis repetat. Legimus apud Dem. 19, 286: *οὐδὲ δεινὸν ἡγήσατο τὸ πρᾶγμα, εἰ ὁ τοιοῦτος λέγει.* Dem. 19, 197: *ὕβριν τὸ πρᾶγμα ἔφασαν,* scil.: id, de quo antea dictum est. cf. Ant. 1, 128. Dem. 6, 33: *τὸ γὰρ πρᾶγμα ὁρῶ προβαῖνον.* cf. Dem. 37, 13; 14. 54, 6. — Dem. 19, 197: *ὡς δὲ προήει τὸ πρᾶγμα.* 23, 203. 21, 102. 20, 92.

Invenitur igitur *τὸ πρᾶγμα* ita positum, ut longiore praecedente narratione id, de quo dictum sit, complectatur ad addendam, quae ipsius oratoris de illa re sit sententia: Dem. 19, 211: *καὶ τὸ πρᾶγμα ἦν ὑπεργέλοιον.* Dem. 5, 16: *καὶ τὸ πρᾶγμα φύσει τοιοῦτόν ἐστι.* cf. 19, 128. 30, 13. Isocr. 16, 16. Dem. 31, 11: *οὐδὲ λόγον τὸ πρᾶγμ᾽ ἔχον ἐστί.* Dem. 23, 113. 44, 54. Din. 1, 7: *τουτί ἐστιν ὑπερβολὴ τοῦ πράγματος.* Aesch. 2, 125: *ἀλλ᾽ ὡς ἔοικε, τὸ πρᾶγμα ἐμοῦ προςεδεῖτο.* cf. Aesch. 1, 126; 161.

§ 14. *ΠΡΑΓΜΑ* = RES, *SACHE*, *DING*, *GEGENSTAND.*

Nec solum pro orationis argumento sed etiam pro uno verbo vel vocabulo poni *πρᾶγμα* potest. Quo vocabulo si ita utuntur oratores, id jam adeo de propria discessisse notione videtur, ut non jam id, quod agatur, rem, de qua agatur, significet, sed omnino rem quandam, quam notionem nostrum: *Sache*, eodem modo capit aut nostrum: *Ding*, vel, *Etwas*, reddit. Omnibus autem locis, si accuratius animum impendimus, servare *πρᾶγμα* rei, de qua forte agatur, notionem invenimus. Verti quidem potest vox: *πρᾶγμα: Sache*, vel, *Ding*, sed ei qui dicit, quotienscunque utitur eo vocabulo, nunquam non rei, de qua forte agatur, aut quae ipsi forte in animo sit, notio valet. Quo in spectando usu haud a re alienum esse mihi videtur, inter *πρᾶγμα* et *χρῆμα*, quorum utrique haec notio subesse potest, hoc statuere discrimen quoddam. Haud scio an recte dijudicem, si dicam in adhibendo *πράγματος* vocabulo ei qui dicit in animo esse rei, ut ita dicam, tractationem, *die Behandlung des Dinges: χρήματος* rei usum, *der Gebrauch, der von dem Dinge gemacht wird;* ceterum utrumque ut nostrum, *Etwas*, pro

quavis re poni posse. Cujus *πράγματος* usus, quoniam longum est omnia exempla afferre, gravissima tantum et maxime dilucida profero, tam late enim patet, ut *πράγματος* vocabulo etiam homo indicari possit. Dicit Demosthenes in oratione 35, 15: *οὑτοσὶ Λάκριτος Φασηλίτης, μέγα πρᾶγμα, Ἰσοκράτους μαθητής*, i. e. homo magni momenti vel: magnum aliquid. Dem. 19, 136: *ὁ δῆμός ἐστιν ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν πάντων καὶ ἀσυνθετώτατον.* Herod. III, 132: *ἦν δὲ μέγα πρῆγμα Δημοκήδης παρὰ βασιλέϊ.* Dionys. Hal. *π. τ. Θ. χαρ.* 52, 2: *οἷς τάχα βάσκανόν τι καὶ κακόηθες πρᾶγμα δόξομεν.* Plato Protag. 312 C: *οὔτ' εἰ ἀγαθῷ οὔτ' εἰ κακῷ πράγματι (τὴν ψυχὴν παραδίδως).* Aristoph. Eccles. 441: *γυναῖκα δ' εἶναι πρᾶγμ' ἔφη.* cf. Lucian. Asin. cp. 4. Xen. Cyrop. VI, 1, 36: *ἐγὼ γάρ σε συγκαθεῖρξα τούτῳ τῷ ἀμάχῳ πράγματι*, scil. feminae. — Haec de *πράγματος* vocabulo hominis loco posito; jam nonnullis exemplis, quam tritus amplae illius notionis usus sit, explicemus. Legitur in Dem. 19, 88: *καλὸν πρᾶγμα φύσει κακῶς διέθηκαν*, scil. *εἰρήνην.* cf. Dem. [61, 35]. Dem. [61, 3]: *διὰ τοὺς λυμαινομένους τῷ πράγματι*, scil. *τῷ ἐρᾶν.* Aesch. 1, 41: *περὶ τὸ πρᾶγμα τοῦτο ἐσπουδακώς*, scil. *τὴν ἑταίρησιν.* Aesch. 1, 94; 162. Isocr. 4, 97: *καὶ τοὺς θορύβους τοὺς ἐν τῷ πράγματι γενομένους*, scil. *ἐν τῇ μάχῃ.* cf. Aesch. 1, 136. Isocr. 10, 46. Aesch. 3, 67: *καὶ τὸ πρᾶγμα κατασπεύδων*, scil. *τὴν εἰρήνην.* Isocr. 10, 56: *ὅσῳ περ καὶ τὸ πρᾶγμα κρεῖττόν ἐστι.* Isocr. 15, 220: *οὕτω μεγάλην διαφορὰν τῶν πραγμάτων ἐχόντων.* Isae. 7, 2: *ὅλον τὸ πρᾶγμα ἐπικυρώσας*, scil. *τὴν ποίησιν.* cf. Dem. 56, 11. 57, 3. Isocr. 15, 253. 20, 9. Isae. 1, 23: *ἐκ τοῦ πράγματος κερδαίνειν*, scil. *τῆς δωρεᾶς.* cf. Aesch. 1, 94. Isocr. 15, 195. Dem. 37, 60: *εἰ πρᾶγμα δίκαιον ὡρισμένον ἐκ παντὸς χρόνου νῦν καταλυθήσεται ἐφ' ὑμῖν.* (Dem. 38, 22), scil. lex. Dem. 57, 58: *τοὺς καλῷ καὶ δικαίῳ πράγματι μὴ καλῶς χρησαμένους*, scil. *τῷ οὐδέν' ἀποστερεῖν οὔτε κατηγορίας οὔτ' ἀπολογίας.* cf. 57, 57. Lys. 1, 44: *τοιούτων πραγμάτων ἕνεκα*, scil. *τοῦ κατηγορεῖν* etc. Isocr. 6, 49: *εἴ τινες οὕτω χαλεπῷ καὶ παραβόλῳ πράγματι πιστεύειν ἀξιοῦσιν*, scil. bello. Dem. [10, 47]: *πρᾶγμα ἔντιμον καὶ μέγα κ. τ. λ.*, scil. *ἡ ἡγεμονία.* Ant. 6, 1: *ὃ μέγιστον νομίζω ἐν τοιούτῳ πράγματι*, scil. *τῷ κινδυνεύειν.*

Quod maxime perspicuum est, si *πρᾶγμα* conjunctum cum nomine adjectivo ad nomen substantivum refertur, ita ut *πρᾶγμα* una cum adjectivo illi nomini apponatur, et nomen *πράγματος* voce

repetatur, quem usum invenimus apud Isocr. in orat. 12, 242: *σεμνότητος, εὐδοκίμου πράγματος.* Din. 1, 88: *δωροδοκίας, πράγματος ἀλυσιτέλους ὑμῖν.* Dem. [25, 49]: *δυςκατάπαυστόν τι κινδυνεύει πρᾶγμ' εἶναι πονηρία* etc.

Huic *πράγματος* notioni tribuo, quod Isocrates nomine plurali: *τὰ πράγματα* utitur ad notionem philosophicam: *die Dinge*, reddendam. cf. Isocr. 10, 3: *Μέλισσον, ὃς ἀπείρων τὸ πλῆθος τῶν πραγμάτων πεφυκότων ὡς ἑνὸς ὄντος τοῦ παντὸς ἐπεχείρησεν ἀποδείξεις εὑρίσκειν.* cf. Isocr. 2, 15, ubi legitur: *οὔτε γὰρ ἵππων οὔτε κυνῶν οὔτ' ἀνδρῶν οὔτ' ἄλλου πράγματος οὐδενὸς οἷόντε καλῶς ἄρχειν . . .*

Tum Isocrates *πράγματα* hominibus opponit: 2, 39: *ὁμιλεῖν δὲ καὶ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ἀνθρώποις δυναμένους.* 2, 50: *μηδὲ τὰ σπουδαῖα τῶν πραγμάτων μηδὲ τοὺς εὐφρονοῦντας τῶν ἀνθρώπων ταῖς ἡδοναῖς κρίνειν.* 3, 4: *οὐθ' ὅλως τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφέρειν*, ubi antea de divitiis, robore, virtute, notionibus philosophicis, disserit. Isocr. 12, 240: *περὶ δὲ φύσεως ἀνθρώπων διαλεγόμενον καὶ πραγμάτων.* Xen. Cyr. 1, 6, 9. cf. Isocr. 1, 47. 3, 30. 12, 223. 15, 184. ep. 2, 13.

Unde proficiscitur usus, quem habent *τὰ πράγματα*, res ipsae, oppositae nominibus, *τοῖς ὀνόμασι.* Isocr. 3, 59: *οἵων περ ὀνομάτων ἕκαστον τῶν πραγμάτων τετύχηκε:* antea exempla allata sunt: *ἡ κακία* et *ἀρετή.* cf. Lys. 10, 20. Isocr. 12, 251. 15, 283. [And. 4, 27].

Nonnunquam, cum opponuntur *πράγμασι τὰ ὀνόματα, πράγματος* vocabulum reddere possumus: *Wirklichkeit, Thatsache*, quod emanat e notione, quam antea explicavimus. Res enim, quae *πραγμάτων* nomine indicantur, si conferuntur cum rerum nominibus, res ipsae, res verae, *die Thatsachen*, sunt. cf. Aesch. 3, 253: *ὡς λῃστὴν τῶν πραγμάτων [ἐπ' ὀνομάτων] διὰ τῆς πολιτείας πλέοντα.* cf. Aesch. 3, 142.

Quam notionem *πράγματος* vocabulum servat non e contrario positis nominibus in Dem. 3, 19: *τὰ δὲ πράγματα πολλάκις οὐχ οὕτω πέφυκεν:* re vera autem saepe non ita est. Dem. 4, 38: *καὶ τὰ πράγματα ὑπερβήσεται* (pro. pol. 1): etiam res ipsa praeteribit. Dem. 8, 34: *ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς γιγνομένοις.* cf. 9, 4: ipsa autem re vera = *in Wahrheit und Wirklichkeit.* cf. Dem. 3, 20 (*ὅπως . . .*). 44, 31: *ὁ λόγος τοῦ πράγματος:*

rei verae sermo. 44, 49: *ἐναντίον τῷ πράγματι*, contra rem veram.

Has notionis varietates, quae vindicari possint *πράγματος* vel *πραγμάτων* voci, e prima notionis parte duxi, quae id continet, quod agitur; quod cum satis explicavisse exemplisque illustravisse mihi videar, ad alteram, quam *πράγματος* vocabulo suffixi *-ματ* ope formato tribuendam esse vidimus, notionem transimus.

CAPUT B. ΠΡΑΓΜΑ ID EST, QUOD AGENDO EFFICITUR.

§ 15. *ΠΡΑΓΜΑ* = FACTUM. *THAT.*

Vocabulis suffixi *-ματ* ope formatis alteram subesse vidimus vim ac notionem, qua si de *πράγματος* vocabulo utimur, proficiscitur: *das Ergebniss der Handlung,* id quod agendo efficitur. Quod vero agendo efficitur, primum id est perfectum atque perpetratum, quod agitur, res peracta vel perpetrata: *etwas Vollendetes, Durchgeführtes, eine vollendete Handlung, That,* quam notionem voce Latina: factum accuratissime reddi puto. Atque ut factum et simpliciter ac per se poni et ad quemvis auctorem referri, certumque factum esse potest, ita *πράγματι* subjicitur aut omnino factum aliquid aut certum et a quopiam perfectum et commissum facinus. Alterum usum invenimus in Dem. 2, 12: *ἂν ἀπῇ τὰ πράγματα:* cum desunt facta, *wenn die Thaten fehlen.* 19, 6: *πολλῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων καιρὸν ἐν βραχεῖ χρόνῳ γίγνεσθαι:* multorum et magnorum facinorum occasionem brevi temporis spatio comprehendi. cf. 19, 8. 18, 48. 18, 85: *ὅταν ᾖ νέα καὶ πᾶσι γνώριμα τὰ πράγματα:* si nova omnibusque cognita sunt facta. 9, 51: *φυλάττεσθαι τοῖς πράγμασι καὶ ταῖς παρασκευαῖς.* 21, 160: *οὐδενὸς γὰρ πράγματος οὐδ' ἔργου τοῦτο συγχωρητέον* (cf. Dem. pro. pol. 50: *οὐδενὸς εὐδ. κ. τ. λ.*): ubi *πρᾶγμα* perfectum et peractum munus est, *ἔργον* autem auget et amplificat hanc significationem addita laboris atque operae notione, quare interpretandum esse locum statuo: *denn dies darf man auch nicht für eine Leistung und Mühewaltung gestatten oder zugestehen.*

Alteram habet vim *τὸ πρᾶγμα,* ut jam supra dictum est, ubi ad auctorem quendam facinus refertur, vel ubi facinoris cujusdam certi et perfecti orator rationem habet: *die von Jemandem aus-*

geführte Handlung oder That, vel, *die in der Rede berücksichtigte, gemeinte That,* quae notio ubi apud oratores Atticos inveniatur, cum longum sit, omnes locos adhibere, nonnullos modo verbotenus afferam, reliquos numeris tantum orationum capitumque atque oratorum nominibus indicabo. Legitur in Dem. 18, 24: *Εὐρυβάτου πρᾶγμα*, i. e. facinus Eurybatis facinori simile. cf. 22, 36. 24, 57. Dem. 21, 216: *κεχειροτόνηται μὲν ὕβρις τὸ πρᾶγμα εἶναι:* cf. Dem. 38, 24. 54, 33. Lys. 7, 15. Isae. 2, 41; 42; 43. Dem. 31, 8: *τὰ ἀληθῆ τῶν πραγμάτων τοιαῦτ᾽ ἐστίν:* facinora re vera talia sunt. Isocr. 2, 45. Lys. 3, 16: *ἀγανακτούντων τῷ πράγματι.* Dem. 57, 3. Isocr. 20, 9. 15, 42: *τούτων τῶν πραγμάτων μαθητὰς γιγνομένους.* Dem. 24, 154. Thuc. III, 42, 2. Isocr. 10, 45: *τῶν μηδὲν πρὸ τοῦ πράγματος ἐνθυμουμένων.* Lys. 13, 71. Ant. 3, *α*, 1: *τὰ ὁμολογουμένα τῶν πραγμάτων:* ea, quae facinorum ab illis conceduntur. And. 1, 64: *διὰ τὸ πρᾶγμα Εὐφ. πονηρὸν εἶναι:* propter illud facinus Euph. improbum esse. Dem. 1, 27: *ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη:* pudor facinorum. cf. 4, 10. Lys. 27, 8: *τούτων τὰ πράγματα κατηγορεῖ:* in horum facinora invehitur. Dem. 18, 193: *οὐ καλὰ καὶ τῆς πόλεως ἄξια πράγματα ἐνεστησάμην.* 18, 307. [10, 21]. Dem. 19, 343: *προσανηλωκόσι χρήματα, πράγματα κ. τ. λ.* 54, 9: *πᾶν τὸ πρᾶγμα ὑπὸ τούτου γεγενῆσθαι.* 23, 58. 21, 38. 24, 116: *περὶ τῶν γεγονότων πραγμάτων νόμον γράφειν.* Lyc. § 66.

Praecipue in orationibus, quas illi oratores sive ipsi in suis causis dixerunt, sive pro aliis scripserunt, cum *πράγματος* vocabulo utuntur ad significandum illud, de quo agitur, facinus, vocem illam conjungunt cum verbis dicendi, defendendi, accusandi, judicandi, demonstrandi, testandi, convincendi, ita ut *πράγματι* saepe etiam criminis commissi notio insit, quam etsi nonnullis exemplis jam supra allatis fortasse patet, aliis tamen locis, quibus illud cum his verbis conjunctum inveniatur, accuratius definiamus. Vicina et propinqua quidem haec est notio alteri, de qua jam supra dictum est, illi, quae respondeat vocis nostrae: *Sache*, rei, de qua agatur, significationi; attamen his, quos jam afferam, locis illi oratores mihi non rem, de qua agitur, illo vocabulo dicere videntur, sed potius criminis vel facinoris sive boni sive mali commissi et perpetrati, de qua forte agitur, notio subest *πράγματι*, quod cum verbo dicendi conjunctum legimus in Dem. 35, 41: *λόγους ποιεῖσθαι περὶ ἀδίκων πραγμάτων.* cf. Dem. 35, 49. 37, 21. 38, 19. Isae. 9, 18.

Isocr. 4, 74. Dem. 14, 1. Isocr. 12, 36: *τὰ μικρὰ τῶν πραγμάτων ῥάδιον τοῖς λόγοις αὐξῆσαι.* Ant. 5, 68: *μηνῦσαι τὸ πρᾶγμα.* Lys. 7, 20; 21. Ant. 4, β, 1: *ὅτι ἐξισοῦν τοῖς μεγίστοις ἐγκλήμασιν ἤθελον τὸ πρᾶγμα.* Defendere aliquem de facinoribus dicit: Isocr. 11, 48: *περὶ δυςχερῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τὰς ἀπολογίας.* Ant. 3, β, 1. 5, 90. Aesch. 1, 113. Isocr. 18, 22. Ut defendit facinora reus, qui criminis arcessitur (cf. Lys. 3, 48: *ἐκ τοιούτων πραγμάτων εἰς τοιούτους ἀγῶνας καταστῆναι*), ita adversarius accusare solet: Dem. 21, 104: *εἰ τοῦ πράγματος αἰτιῶντο ἐμέ.* 37, 51: *τοῦ δούλου τὰ πράγματα κατηγόρησεν.* cf. Dem. 45, 83. Idem argumenta factorum judicibus praestat, unde dicit: Dem. 23, 157: *ὅθεν ἐξελέγχθη τὸ πρᾶγμα ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ.* Dem. 29, 17. Ant. 1, 12. Dem. 18, 15; 226. Lyc. § 91. Demad. 5. Dem. pro. pol. 50: *οὐχ ὁ αὐτὸς ἔλεγχος τῶν τε λόγων καὶ τῶν πραγμάτων ἐστίν.* Reus vero nititur innocentia et facinoribus suis confidit: Dem. 37, 48: *πεπιστευκότα τοῖς πράγμασιν.* Ant. 5, 16. Isae. frgm. 5. Lys. 13, 88. Isocr. 8, 60. 18, 9. Dem. 44, 38. Et reus et is, qui accusat, non solum testes producunt factorum: Dem. 34, 47: *οὐκ ἐστὲ μάρτυρες τοῦ πράγματος:* Ant. 5, 8. 6, 16. Isae. 11, 25. Dem. 45, 57. 54, 40; sed etiam servos de rebus a patronis gestis interrogandos tormentis adhibitis curant: Isocr. 17, 35: *ὥστε μηδεμίαν βάσανον περὶ τοῦ πράγματος τούτου γενέσθαι.* Ant. 1, 8. 5, 71. Isae. frgm. 4. Judices autem, cum, quod fuisset consilium in committendo facinore, reputaverint: Dem. 18, 156: *τὴν ἀληθῆ πρόφασιν τῶν πραγμάτων.* 23, 50. cf. 23, 75: *πᾶσίν εἰσι πράγμασι καὶ λόγοις δύο προςθῆκαι, ἃς ἅμα τὸ αὐτὸ πρᾶγμα οὐδὲν ἂν δύναιτο σχεῖν*, et rei crimina consideraverint: 21, 88: *τὸ πρᾶγμα οὑτωσὶ σκέψασθαι.* cf. [47, 46]. Lys. 1, 43. Ant. 5, 86: *οἱ τὴν ἀκρίβειαν ζητοῦντες τοῦ πράγματος.* Isae. 6, 20. Ant. 5, 88: *ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα, περὶ ὧν οἱ κίνδυνοι, περὶ πλείστου ἐστὶν ὀρθῶς γιγνώσκεσθαι*, cf. Dem. 18, 229: *ὁ τῶν πραγμάτων λογισμός* (quod fere idem valet, quod: 18, 231: *ὁ τῶν ἔργων λογισμός*). Dem. 9, 15: *ἐκ τῶν πραγμάτων σκέψαιτ᾽ ἄν.* 18, 122: *τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς πολιτεύμασι γιγνωσκόμενοι* (ubi non tam judices, qui crimina, quam ii, qui facinora alicujus considerent, dicuntur), e legibus de singulis criminibus positis (cf. Dem. 22, 30: *περὶ τοῦ πράγματος, οὗ τιθείη τὸν νόμον*) sententiam ferunt: Dem. 37, 47: *ἐφ᾽ ᾧ τὴν ψῆφον εἶχον πράγματι.* Lys. 1, 1: *περὶ τούτου τοῦ πράγματος τοιούτους δικαστὰς ὑμᾶς*

γενέσθαι. cf. Ant. 6, 8. Lys. 7, 3; 22. Isocr. 15, 173. [17, 54]. Atque reus, si criminis particeps est: Dem. 23, 30: *οὖ ἦν αἰτία τὸ πρᾶγμα.* 23, 41. Ant. 5, 64; 66; 67. Isocr. 18, 37; cf. etiam: Ant. 6, 34: *ἀδικεῖν ἐν τῷ πράγματι τούτῳ οὐδέν.* Ant. 5, 8. Dem. 24, 67. Din. 2, 21, convincitur et poenas dat: Dem. [25, 76]: *οἱ τοῖς πράγμασιν αὐτοῖς ἁλισκόμενοι.* cf. Ant. 5, 11. Dem. 29, 57. 52, 11. Dem. 21, 111: *δίκην δοῦναι πραγμάτων.* 21, 182: *οἱ μὲν τεθνᾶσι, οἱ δὲ ἠτιμωμένοι διὰ πολλῷ τούτων εἰσὶν ἐλάττω πραγμάτων.*

§ 16. *ΠΡΑΓΜΑ* = RES GESTA, FACTUM, CASUS, *EREIGNISS.*

Hi fere sunt loci, quos ad probandam illam *πράγματος* notionem, quae facinore sive facto vel nostri sermonis „*That*“ voce reddatur, afferre possim. Sin autem vis passiva et praeterita, quae *πράγματι* suffixi *-ματ* ope formato tribuenda est, spectatur, nulla auctoris ratione habita, nullo negotio efficitur, ut id, quod agendo efficiatur, res quando gesta dicatur, vel casus sive eventus, quam notionem sermonis nostri vocabula: *Ereigniss, Vorfall* praestant. Quae facta secunda an adversa sint, nihil refert, *πράγματος* vocabulo rei et bene et male gestae notio subjici potest. Quae notio maxime est dilucida, si conjungitur *πρᾶγμα* cum verbo *γεγονέναι* aliisque similibus verbis, cf. Dem. 19, 64: *δεινότερα οὐ γέγονεν οὐδὲ μείζω πράγματα.* cf. Dem. 19, 112. 23, 104; 141. 57, 59. Xen. Cyr. V, 4, 19. Anab. V, 7, 18. Dem. 19, 294: *αἴτιος τούτων τῶν συμβεβηκότων πραγμάτων.* cf. Dem. 22, 17. 50, 59; 63, ubi res adversae dicuntur. 57, 12: *τό τε πρᾶγμα ἄφνω προςπεπτωκέναι.* 18, 153: *ὥςπερ χειμάῤῥους ἂν ἅπαν τοῦτο τὸ πρᾶγμα εἰςέπεσε.* cf. 18, 214. 19, 328: *καὶ γέγονεν τὰ πράγματα πάνθ᾽ ὥςπερ αἴνιγμα τῇ πόλει.* Eandem notionem *πρᾶγμα* habet cum verbo sive praepositione conjunctum, cui inest vis quaedam temporalis, sive illud, quod dicitur, facto praecedit sive succedit rei gestae. cf. Dem. 4, 41: *πρὸ τῶν πραγμάτων.* 5, 2 [10, 30]. 18, 189. pro. pol. 43: *εἰ μὴ προνοήσεσθε τῶν πραγμάτων.* Dem. 18, 149. 20, 162: *μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίγνονται.* 4, 39: *ἀκολουθεῖν τοῖς πράγμασι:* res gestas sequi, cf. ad rem: Isocr. 6, 34. Dem. 5, 2: *μετὰ τὰ πράγματα* [10, 30]. 44, 53. Isocr. 3, 19. 16, 4. Dem. 27, 2: *μήτ᾽*

ἀπολειφθῆναι τῶν πραγμάτων. [13, 5]: *περίεσθ᾽ ὑμῖν ἐκ τῶν πραγμάτων.* —

Qua *πράγματος* usi significatione dicunt oratores: *λέγειν* sive *ἀκούειν* sive *σκέπτεσθαι περὶ πραγμάτων:* de rebus gestis dicere, res gestas narrare, audire, mente agitare. Dem. 33, 9: *λέγει τὸ πρᾶγμα.* 41, 2. 50, 4. 54, 4. And. 2, 3. Xen. An. V, 7, 20. Dem. 1, 11. 23, 186: *τὰ πράγματα θαυμάζοντες.* Aesch. 2, 86. 3, 162. cf. Dem. 19, 332. And. 1, 45: *πεπυσμένοι τὰ πράγματα.* Aesch. 3, 77: *τὸ πρᾶγμα,* scil. mortuum esse Philippum. Xen. Cyr. V, 4, 7. An. V, 7, 22. Hell. III, 2, 4. Cum verbo: *ἐλέγχεσθαι πρᾶγμα* est conjungendum his locis, qui leguntur apud Demosthenem: 19, 120: *τὰ πράγματ᾽ Αἰσχίνῃ,* scil. testantur; eod. loco: *πρὸς δὲ τοῖς πράγμασι.* — 19, 279. 58, 23, quod comparandum est cum iis, quae supra de voce cum testandi verbo conjuncta dicta sunt; sed his locis non tam in illum, qui res gessit, quam in ipsum eventum intuetur is, qui dicit. Ad auctorem rerum gestarum spectat. Dem. in pro. pol. 15: *οὐ τοὺς αἰτίους τῶν πραγμάτων.* Dem. 19, 294.

Gravissimi vero mihi videntur esse loci quidam, quibus haec illius vocabuli probetur notio. In Demosthenis oratione 23, 153 legitur: *τὸ πρᾶγμα τὸ περὶ τὴν ἐπιστολήν,* quod dicere mihi videtur res cum epistola gesta, res, quae ad epistolam attinet: *das mit dem Briefe Geschehene, der Vorfall, die Geschichte mit dem Briefe,* ut nos dicere solemus, deinde apud Lys. 13, 55: *τὸ τοῦ Μενεστράτου τοιοῦτον ἐγένετο πρᾶγμα,* ubi *πράγματι* eandem vim vindico, ita ut reddendum sit: „*der Vorfall mit Menestratus verhielt sich so.*" Video quidem Frohbergerum reddere: „*die Sache mit Menestratus*", quod dici quidem ex sermonis nostri usu et *πράγματος* notione potest, is autem hunc locum cum alio, qui in Demosthenis orat. [25, 95] invenitur: *ἀνίατον τὸ πρᾶγμά ἐστι τὸ τούτου* comparat; sed hoc loco non idem effici censeo, cum pro illo: *τὸ πρᾶγμα τὸ τούτου* dicere Demosthenes vel is, qui composuit hanc orationem, potuit: *οὗτος;* quoniam vero illo loco non Menestrati persona requiritur, sed id, quod cum Menestrato gestum est, reddendum esse illum locum statuo: *der Vorfall mit Menestratus* etc. Similis quis mihi videtur esse *πράγματος* usus in Aeschinis orat. 2, 107: ubi simpliciter dicit: *πέρας τοῦ πράγματος,* quod finem rerum gestarum, quae ibi narrantur, significat, ita ut nos dicimus: „*das Ende der Geschichte, das Ende vom Liede.*"

§ 17. *ΤΑ ΠΡΑΓΜΑΤΑ* = RERUM CONDICIO, *VERHÄLTNISSE, LAGE.*

Agendo vero quod efficitur, *das Ergebniss der Handlung*, eo non solum ipsum factum vel casus sive eventus scilicet, id, quod peractum est, continetur; sed si notionem: „*das Ergebniss, Resultat der Handlung*“, amplificamus et dilatamus, agendo efficitur rerum temporumque status: *die aus dem Handeln sich ergebenden Verhältnisse, Umstände.*

Quamobrem, si id quod agendo evenit, premitur, *τὸ πρᾶγμα* aut nomen plurale: *τὰ πράγματα* rerum temporumque statum sive condicionem rebus gerendis effectam, *die Lage*, significat. Qua vocabuli notione, maxime usitata atque trita, utitur, exempla ut afferam, Demosthenes 5, 13: *μᾶλλον εἶχε τοῖς πράγμασι καιρόν:* aptius fuisset rerum condicioni: *es wäre der damaligen Lage angemessener gewesen.* cf. Isocr. 4, 74: *ἐπειδὴ συμφέρει τοῖς πράγμασιν,* quem ad locum Schneider dicit: *dem, was wir zu thun haben,* sed mihi magis videtur idoneum esse: *Was den Verhältnissen Nutzen bringt*, scil. *entspricht;* idemque statuo in Dem. 23, 128. Dem. 2, 1: *ἐν τοῖς παροῦσι πράγμασι:* praesenti rerum condicione. Isocr. 8, 80. Thuc. III, 82, 2: *ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀγαθοῖς πράγμασιν.* Dem. 24, 154: *οὐχ ὁμοίων ὄντων τῶν πραγμάτων νῦν καὶ τότε.* Isocr. 15, 102. Aesch. 2, 73. Dem. 18, 139: *οὐκέτ᾽ ἐν ἀμφισβητησίμῳ τὰ πράγματα ἦν:* non jam dubio rerum statu. cf. Dem. 19, 122. Dem. 19, 152: *ἅπαντ᾽ ἐν ἀσφαλεῖ τὰ πράγμαθ᾽ ὑμῖν ἔσεσθαι.* cf. Isocr. 7, 1. Xen. An. VII, 6, 24. Hell. II, 4, 8. Thuc. IV, 24, 4. Isocr. 6, 86: *οὐδεμιᾶς ἄλλης ἐνούσης ἐν τοῖς πράγμασι σωτηρίας:* cum nulla alia insit in rerum statu salus. Isocr. 8, 144: *ἔνεστι δ᾽ ἐν τοῖς πράγμασιν ἡμῶν τυχεῖν . . .* cf. Dem. 23, 137. 19, 84. 19, 317: *συνῆκτο γὰρ τὰ πράγματα αὐτῷ εἰς καιρὸν τοιοῦτον.* cf. Dem. 1, 21. 16, 4. 20, 161: *εἰς τοιαῦτα πράγματα ἀφίξεσθαι.* 19, 18.

Id, quod effecerit eam rerum condicionem, respiciens dicit: Dem. 19, 88: *αἴτια τοιούτων πραγμάτων καὶ ταραχῆς γέγονεν.* cf. ad hoc Dem. [10, 46]. 18, 20; 42. And. [4, 24]. Xen. Hell. III, 4, 25.

Haec vero *πράγματος* significatio respicitur, cum vocabulum conjungitur cum verbis affectus cujusvis notionem continentibus sive cum verbis videndi, cognoscendi, intuendi, judicandi, con-

sulendi, audiendi, dicendi, ut legitur in Dem. 4, 2: *τοῖς παροῦσι πράγμασιν οὐκ ἀθυμητέον.* Aesch. 2, 137. Isocr. [17, 30]. 4, 147: *ἀπορήσας τοῖς παροῦσι πράγμασι.* — Isocr. [21, 2]: *δεδιὼς τὰ παρόντα πράγματα.* Dem. 9, 20. Aesch. 2, 20. — Dem. 5, 1: *τὰ παρόντα πράγματα πολλὴν δυςκολίαν ἔχοντα ὁρῶ.* Dem. 9, 46. [10, 49], [ep. 3, 34]. Lys. 13, 23. — Dem. 2, 29: *ἀποβλέπειν εἰς τὰ πράγματα.* 3, 1. — Dem. 4, 3: *τοῖς πράγμασι προςέχειν τὸν νοῦν,* rerum condicioni consulere. cf. Dem. 4, 11; 50. 19, 305. Isocr. 7, 6. al.

Saepissime invenitur: *χρῆσθαι* verbum cum voce: *τὰ πράγματα* conjunctum, ac *τοῖς πράγμασι χρῆσθαι* mihi quidem valere videtur, quod Latinum: uti temporum condicione, e rerum condicione fructum capere: *die Verhältnisse benutzen, den Verhältnissen Rechnung tragen.* cf. Dem. 2, 3: *ὅσῳ χεῖρον ἢ προςῆκεν κέχρησθε τοῖς πράγμασι.* Dem. 1, 3. 4, 25. [10, 20]. 53, 13. Isocr. 2, 35. 3, 21. 6, 50. 9, 55. 12, 221. 19, 21. Xen. Hell. III, 5, 1.

Qua utuntur oratores notione, *τὰ πράγματα* cum verbis mutandi similibusque conjungentes: Isocr. 6, 47: *εἰς τοῦθ᾽ ἡ τύχη τὰ πράγματ᾽ αὐτῶν περιέστησεν.* Isocr. 5, 55. 8, 59. 12, 190. 15, 120. Aesch. 3, 82. Lys. 13, 93. Dem. 3, 9. 19, 42. 18, 201 ac similiter: Dem. 1, 28. [10, 48]. Thuc. VIII, 63, 4. — Dem. 9, 2: *εἰς τοῦτο τὰ πράγματα ἀφῖκται.* — Dem. 9, 65: *μὴ γένοιτο τὰ πράγματα ἐν τούτῳ.* 2, 8: *πρὸς τοῦτο πάρεστι Φιλίππῳ τὰ πράγματα.* 20, 49: *οὐ γὰρ μετέπιπτε τὰ πράγματα ἐπ᾽ ἀμφότερα.* — 2, 26: *ἐκ χρηστῶν φαῦλα τὰ πράγματα τῆς πόλεως γέγονεν.* pro. pol. 1. Dem. [13, 32] pro. pol. 34. — Isocr. 15, 233: *Θεμιστοκλῆς εἰς τοῦτ᾽ αὐτῶν τὰ πράγματα προήγαγεν.* Dem. 6, 2. 9, 1. 23, 173. pro. pol. 23. — Dem. pro. pol. 17: *ὁρᾶν πάντα τὰ πράγματα λελυμασμένα.* Dem. 19, 58; 59. Xen. Hell. II, 1, 2. Isocr. 7, 18: *εἰς τραχύτερα πράγματα ἐξοκείλωμεν.* — Isocr. 8, 116: *ἐκ ταπεινῶν πραγμάτων ὁρμηθεῖσαν.* Isocr. 9, 59. Dem. [59, 70]. 34, 8. Thuc. VII, 48, 1. VIII, 24, 5. — Dem. 4, 12: *ἅπασι τοῖς πράγμασι τεταραγμένοις.* Thuc. VIII, 58, 1. — Aesch. 3, 79: *μεταβολὴν τῶν πραγμάτων.* Isocr. 6, 69. 15, 161. Dem. 16, 15. 4, 13. — Dem. 8, 17: *καὶ τί τὰ πράγματ᾽ ἔσται βελτίω.* 19, 202. 2, 31. pro. pol. 14. 15. 21. Isocr. 8, 145. — Din. 1, 65: *ἐπὶ τὸ βέλτιον ἂν τὰ τῆς πόλεως πράγματα ἐλθεῖν.* — Dem. 1, 17: *βοηθητέον εἶναι τοῖς πράγμασι,* pro. pol. 30. — Dem. 9, 76: *τὰ πράγματα ἐπανορθωθῆναι.*

[10, 34], [ep. 1, 9]. Aesch. 3, 177. — Aesch. 3, 179: *τὰ πράγματα τῆς πόλεως τότε μᾶλλον ἰσχύειν.*

Similiter eo vocabulo uti oratores censeo, ubi id conjungunt cum vocabulis dominandi vim continentibus, atque hanc illi vocabulo notionem praecipue vindico, si conjungitur: a Dem. 19, 137: *κύριος τῶν πραγμάτων.* cf. Dem. 19, 321. 23, 163; 164. Isocr. 2, 4. 3, 20. 5, 87. 7, 65. 15, 103. ep. 9, 13. cf. Dem. 1, 3: *παρασπάσηταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων:* aliquid divellat de universa condicione scil. Graecorum potentia, libertate, fortunis, juribus, gloria (Reiske). Dem. 2, 9: *βίᾳ καθέξειν τὰ πράγματα.* 19, 156: *πάντα τὰ πράγματα ᾗρει.* cf. 1, 24. 18, 40: *πάντα τὰ πράγματα ὑφ' αὑτοῦ ποιεῖσθαι.* Isocr. 4, 121: *τῶν παρόντων πραγμάτων ἐπιστάτης.* Isocr. 5, 71. Dem. 19, 60: *ὅτι πάντα τὰ πράγματα ἐγκεχείρικε τοῖς Θηβαίοις.* 32, 24. 19, 74: *ὑμῖν τὰ πράγματα οἰκεῖα ποιεῖν.* cf. Dem. [ep. 1, 6]. —

Eadem mihi inesse videtur vis ac notio voci: *τὰ πράγματα,* si conjungitur cum verbo: *ἔχειν* = se habere, atque nihil aliud dicit *τὰ πράγματα ἔχει,* apposito quodam adverbio nisi: res ita se habent, scilicet: rerum condicio ita se habet, ita est: „*die Verhältnisse liegen so, sind der Art*“; ut exemplis utar, dicit: Dem. 18, 7: *ὡς κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους εἶχε τὰ πράγματα:* quae illis temporibus fuerit rerum condicio. cf. Dem. 3, 27. 4, 2. [10, 3]. 48, 40. pro. pol. 1, 20, 31, 38. Isocr. 8, 115. [17, 45]. And. 1, 117. Thuc. VII, 42, 3. V, 46, 1. Dem. 3, 7: *διέκειθ' οὕτω τὰ πράγματα.*

§ 18. *ΤΑ ΠΡΑΓΜΑΤΑ* = RES, RES FAMILIARES ALICUJUS, POTESTAS.

Haec de communi rerum condicione; sin vero ipsius, qui egit, vel agit, ratio habetur, *τὰ πράγματα* eam rerum condicionem, quam sibi paret aliquis agendo quaque jam utatur, dicere possunt, ita, ut *τῶν πραγμάτων* notio transeat in alteram, cui respondeant res familiares alicujus: *die häuslichen Verhältnisse Jemandes, die Verhältnisse, in denen Jemand lebt.* Ita est definienda illius vocabuli notio in Dem. 36, 30: *μόνην ὁρῶν σωτηρίαν τοῖς ἑαυτοῦ πράγμασιν,* solam videns salutem rerum suarum scil. familiarium. cf. Dem. 36, 49: *τὸν σώσαντα τὰ πράγματα.* 50, 6: *βοηθῆσαι τοῖς ἐμοῖς πράγμασιν ἀνηλωμένοις.* Lys. 8, 7: *τὰ ἐμὰ πράγματα κινδυνεύοντα:* res meas periclitantes. cf. Dem. [42, 11]. [58, 4].

Isocr. 19, 23: *εἴ τι τῶν Θρασυλόχου πραγμάτων ἀγαθὸν ἀπολέλαυκα.* Isae. frgm. 2: *πρὸς τὰ Εὐμάθους πράγματα προςῆλθον.* Ant. 5, 74: *ὁ μὲν γὰρ πολλῷ πρεςβύτερός ἐστι τῶν ἐμῶν πραγμάτων:* scil. vita mea, aetate mea. cf. Isocr. ep. 1, 1. Isae. 11, 38: *Στρατοκλέους ἄπορα τὰ πράγματα καταλιπόντος.* cf. Isae. 8, 8. Lys. 28, 11. Isae. 1, 12: *καὶ τῶν πραγμάτων ἡμῖν πονηρῶς ἐχόντων.* cf. And. 1, 117. Xen. Mem. II, 7, 2: *ἐν τοιούτοις πράγμασι*, ubi antea dicitur: *ἐν ἀπορίᾳ:* victus penuria. cf. Mem. II, 10, 4. Isocr. 15, 161: *διὰ ταύτην τὴν μεταβολὴν τῶν ἐμαυτοῦ πραγμάτων.*

His, quae attuli, exemplis satis demonstrari mihi videtur *τὰ πράγματα* rerum condicionem, qua utitur aliquis, esse, non res ipsas, quibus uti possit, quaeque possideat. Hae enim res et *τὰ χρήματα* scilicet utensilia et *κτήματα* scilicet res, quae possidentur, dicuntur. Sed est locus, quo transire *τὰ πράγματα* hanc in notionem videantur, qui legitur in: Din. 1, 70: *σὲ δὲ πλείω ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν τάλαντα τὰ μὲν ἐκ τῶν βασιλικῶν, τὰ δὲ ἐκ τῶν Ἀλεξάνδρου πραγμάτων εἰληφέναι.*

Quo loco cum Demostheni crimini detur, quod pecunia corruptus sit, *τῶν πραγμάτων* voce opes dici videntur, atque Hier. Wolfius et Maetznerus *χρημάτων πραγμάτων* loco scribunt, verum *τὰ βασιλικά* et *τὰ Ἀλεξάνδρου πράγματα* non res vel opes, sed negotia cum rege et Alexandro acta, quorum mercedem Demosthenes pecuniam acceperit, a Dinarcho dici statuo.

Illa autem rerum condicionis, quae agendo eveniat, notione efficitur, si is, cujus res respiciuntur, tyrannus vel rex vel populus est, ut *τὰ πράγματα* ejus eam dicant, quae rebus ejus efficiatur, potestatem, *die Macht, Machtstellung des Betreffenden.* cf. Dem. 4, 44: *τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων:* quae ejus rerum putria ac labefactata sunt. 4, 8: *τὰ παρόντα πράγματα αὐτῷ πεπηγέναι ἀθάνατα:* praesentem potestatem ei esse stabilem atque immortalem. cf. 18, 295. 19, 89; 90. 1, 4: *ὃ δυςμαχώτατόν ἐστι τῶν Φιλίππου πραγμάτων.* [11, 18]: *ἡμεῖς οὔτε τῶν ἐκείνου πραγμάτων οὐδὲν στασιάζειν παρασκευόμεν*, quod bene interpretatur Reiskius: de fortunis, opibus, copiis ejus, populis ei servientibus, sociis ei additis. cf. Isocr. 4, 134. Xen. Hell. II, 1, 29: *ἔγνω τῶν Ἀθηναίων τὰ πράγματα διεφθαρμένα:* cognovit Atheniensium potestatem esse dirutam. cf. Dem. 45, 30. Thuc. I, 110, 1. VII, 27, 3. 48, 5. VIII, 26, 3. 46, 5. 50, 2.

I, 74, 1: *ὅτι ἐν ταῖς ναυσὶ τῶν Ἑλλήνων τὰ πράγματα ἐγένετο.* Isocr. 4, 138: *τῶν βασιλέως πραγμάτων.* cf. Isocr. 4, 139. 5, 92. Thuc. VIII, 58, 1. Herod. III, 137: *καταρρωδέοντες τὰ Περσικὰ πρήγματα.* Xen. Cyr. III, 2, 27. Aesch. 2, 131: *τῶν ἐν Φωκεῦσι τυράννων τὰ πράγματα.*

Idem invenitur *τῶν πραγμάτων* vocis per se et simpliciter positae usus ac vis in Herod. VII, 50, 2: *μεγάλα πρήγματα μεγάλοις κινδύνοις ἐθέλει καταῤῥέεσθαι.*

§ 19. *ΤΑ ΠΡΑΓΜΑΤΑ* = RESPUBLICA.

Ut *πρᾶγμα* per se positum non solum negotium, sed negotium publicum esse potest, ita *τὰ πράγματα*, res alicujus, si non de rebus privatis, sed publicis agitur, asciscere sibi possunt notionem rerum publicarum, *die öffentlichen Verhältnisse;* rerum autem publicarum ac negotiorum publicorum summa ipsa est respublica, itaque *τὰ πράγματα* jam per se rempublicam significant: „*den Staat.*“ Quam sibi vindicans notionem illa vox primum cum verbis, quae condicionem, statum aliquem significant, conjungitur. Invenimus in Lys. 14, 35: *ἃ πονηρῶς ἔχει τῶν πραγμάτων*, quod apte vertit Frohberger: „*Was faul im Staate ist.*“

Jam supra vidimus *τὰ πράγματα* conjungi cum verbo *ἔχειν*, sed illis locis non tam respublica ipsa, quam rerum sive temporum condicio respicitur, his vero, quos jam afferam, ipsa respublica illa voce continetur. cf. Dem. 9, 4: *εἰ πάνυ φαύλως τὰ πράγματα ἔχει.* Dem. 2, 31. 4, 2. 9, 5 pro. pol. 30. 18, 286: *εὐθενούντων τῶν πραγμάτων:* florente reipublicae statu.

Deinde componitur cum verbis servandi sive utilitatis, atque contrariis. Dem. 3, 21: *ἡ τῶν πραγμάτων σωτηρία:* reipublicae salus. Dem. 9, 63. Thuc. VIII, 72, 1. Dem. 4, 46: *τὰ πράγματα ἀπόλωλε.* 8, 10. pro. pol. 31: *βλάβην εἶναι τοῖς πράγμασιν.* 39: *τοῖς πράγμασι συμφέρον.* cf. Dem. 9, 4, ubi alii codices *συμφέρει τῇ πόλει*, alii: *συμφ. τοῖς πράγμασι*, alii: *συμφέρει* tantum praebent. Dem. pro. pol. 6: *ἃ βέλτιστα τοῖς πράγμασίν ἐστι* pro. pol. 15. Dem. 24, 44: *πάντα τὰ πράγματα συνταράξει.* 24, 91: *καταλύει πάντα τὰ πράγματα ὁ νόμος.*

Maxime apparet, hanc inesse *τοῖς πράγμασι* notionem, loco, qui legitur in Dem. 24, 101: *πάντα τὰ πράγματα ἀναιρεῖ, δῆμον, ἱππέας, βουλήν, ἱερά, ὅσια.* — Dem. 19, 208: *τὸ συνειδέναι πε-*

πρακόσιν αὐτοῖς τὰ πράγματα: scire, ipsos rempublicam prodidisse. cf. 19, 42. Lys. [20, 6]: *καταπροδόντων τὰ πράγματα.* Dem. 8, 29: *τὰ πράγματα διαφθείρειν.* cf. Dem. 19, 313. —

Verum non solum de republica ipsa sed etiam de illa, qua utitur respublica forma, de reipublicae statu adhibetur illud vocabulum, et *τῶν πραγμάτων* voci: „*die Staatsverfassung, die Ordnung der Dinge*" subjicitur notio. Praesertim hac usi vocis notione conjungunt eam cum verbo: *καθιστάναι* sive *καταστῆναι.* Lys. 13, 6: *μάλιστα τὰ πράγματα, ὡς αὐτοὶ ἐβούλοντο, καταστήσασθαι,* rempublicam ita, ut ipsi voluerunt, constitutam esse et compositam. Lys. 13, 21: *ἐναντιωσάμενοι τοῖς τότε καθισταμένοις πράγμασι.* Lys. 16, 3: *ὡς εὔνους εἰμὶ τοῖς καθεστηκόσι πράγμασι.* cf. Dem. [10, 42]. Lys. 12, 65. 25, 3; 8. Din. 1, 35. Isocr. 7, 57. 9, 21. 15, 104. Aesch. 3, 57; 159. Dem. 15, 19: *τὰ πράγματα εἰς ἐλευθερίαν ἐπανάξοντες:* reipublicae statum in libertatem restituturi. Lys. 25, 25: *ἀναμνησθῆναι τῶν μετὰ τοὺς τετρακοσίους πραγμάτων.*

Haec fere habui, quae de vario in oratoribus Atticis *πράγματος* usu ac notione dicerem, et satis mihi singulas notiones nullo negotio ad primam, quam vocabulis *-ματ* suffixi ope formatis tribuendam invenimus, vim revocari exposuisse videor, sed, priusquam finem faciam, hac de vi quaedam afferam. Cujus notionis, qua id, quod agatur et id, quod agendo efficiatur, contineri statuimus, Curtius, v. ill., alteram tantum partem affert,[1]) qui *πράγματος* vocabulum, dicit, fere idem valere, quod *τὸ πεπραγμένον;* lat. factum. Quod tamen altera tantum notionis parte dici vidimus et, si participio vocabuli vim explicare velimus, potius: *τὸ πραττόμενον* et *τὸ πεπραγμένον πράγματος* vocabulo contineri dicamus; suffixum *-ματ* enim vocabulis ope sua formatis vim tribuere passivam vel durantem vel perfectam mihi videtur. Vis tamen alicujus participii cum notione eorum nominum non prorsus congruit, quantumvis illud suffixum, quo formata sunt participia passiva: *μενο,* ad eundem, de quo emanet suffixum *-ματ,* fontem revocetur.[2])

---

[1]) cf. Curtius, *Schulgramm.* pg. 191. ed. 10.

[2]) Schleicher, Compendium 393, 398.

VITA.

Natus sum Conradus Guilelmus Rehdantz a. d X. Kal. Majas anni MDCCCLI Barbis, in oppido parvo regni Borussici, ubi medicamentariam exercebat pater. Fidem profiteor evangelicam. Cum jam sexto aetatis meae anno pater defunctus esset, in discendi ludo illius oppidi eruditionis prima rudimenta percepi, tum in gymnasio Stendaliensi ad artes et disciplinas accessi. Quinque annis interjectis cum matre Halas demigravi, ubi anno aetatis XIX absoluto in ea, quae Latina vocatur, schola examine, ut antiquitatis et grammaticorum studio me dederem, inter academiae Fridericianae cives receptus sum. Verum non diu literis operam navaveram, cum exarsit bellum Francogallicum et communi animorum inflammatione affectus arma cepi. Stipendia merui in Gallia per totum fere annum, et persoluto anno militari Halas reversus litterarum studium diu interruptum denuo recepi.

Halis: Bernhardy, Keil, Dümmler, Erdmann, Pott, vv. ill., me instituerunt; Lipsiae, quo m. Oct. a. MDCCCLXXII me contuli, Curtius, Ritschl, Zarncke, Hildebrand, Schuster, virorum illustrium scholis operam dedi. Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago maximas.